Tomus XVI (I novae seriei) Fasc. I et II. Mense Aprili et Iun. 1927

PERIODICA

DE RE

MORALI, CANONICA, LITURGICA

EDITA

A

D. M. PALERMO LAZZARINI, S. I.
Praefecto studiorum in Pont. Universitate Gregoriana
A. VERMEERSCH, S. I. Prof. Theologiae moralis
F. M. CAPPELLO, S. I. Prof. Iuris canonici
I. M. HANSSENS, S. I. Prof. Theologiae Liturgicae
in eadem Universitate

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

BRUGIS
SUMPTIBUS BEYAERT
Via Notre Dame

ROMAE (119)
UNIVERSITÀ GREGORIANA
Via del Seminario, 120

1927

INDEX RERUM ANALYTICUS

I. Dissertationes, Quaesita, Casus

Pag.

Dispensatio a forma matrimonii in casu perplexo. **G. Arendt,** S. I. . . . 1*
De Benedictionibus et praecipue de benedicendas supellectili. **Fr. Hecht,** P. S. M. 17*
Cur restitutio pauperibus facienda praecipitur. **T. L. Bouscaren,** S. I. . . 31*
De conscribendis Constitutionibus Congregationis votorum simplicium vel de iisdem ad Codicem aptandis (Observationes generales). **A. Vermeersch,** S. I. . 41*
De Potestate Superiorum alumnorum. **E. Jombart,** S. I. 47*
De Clausura materiali regularium. **E. Jombart,** S. I. 48*

Quaesita varia.
1. Error circa personam baptizandi 52*
2. Corruptio ritus baptismalis 52*
3. Postulatio s. oleorum ab Episcopo alieno. **A. V.,** S. I. . . . 54*

Casus de Sacramentis.
I. De baptismi subiecto; ritu; patrino 55*

II. Monumenta

SS. D. N. Pius Pp. XI.
1. Chirographus, De ordin. circa opus nationale « Balilla » (24 ian. 1927) — *Annotationes* 1
2. Pacta Conventa S. Sedis cum Gallia. De honoribus liturgicis legatorum (4 dec. 1926) 10
3. Ex aud. Sanctissimi. Declaratio de venia legendi ephemeridem « L'Action française » (24 feb. 1927). —*Annotationes* 15
4. Breve *De regulari*, approbans Constitutiones Ord. S. Ioannis de Deo (20 iul. 1926) 17
18. Acta summatim relata.
A. Litterae de dioecesibus et provinciis ecc. 66
B. Litterae de Vicariatibus et Praefecturis Apost 66
C. Litterae de ecclesiis 67
D. Litterae de monasteriis 68

Suprema Congr. S. Officii.
5. Instructio ad Locorum Ordinarios de sensuali et de sensuali mystico litterarum genere (3 maii 1927) 20

S. C. Consistorialis.
19. 1. Dismembratio et aggregatio paroeciae *(Summatim)* . . . 68
2. Mutatio finium inter Vicar. et dioec. *(Summatim)* . . . 68
3. Mutatio nominis praelaturae *nullius (Summatim)* 68
4. Erectio dignitatis in capitulo *(Summatim)* 68
5. Paroecia mutans dioecesim *(Summatim)* 68
6. Notificatio de sacerdote suspenso *(Summatim)* 68

S. Cong. Concilii.
6. De sacerdotibus magisterii munus gerentibus in publicis scholis (22 feb. 1927). — *Annotationes* 23
7. Ius Ordinarii prohibentis politicam actionem clericorum (15 mart. 1927). - *Annot.* 28

S. C. de Religiosis.
8. Responsum de Consecratione virginum in saeculo (25 mart. 1927). - *Annotationes* 30
20. Approbationes Institutorum *(Summatim)* 68

S. C. de Prop. Fide.
21. Approbationes Institutorum *(Summatim).* 69

S. Cong. Rituum
9. Rescriptum de instituenda die Missionali (14 ap. 1926) — *Annotationes.* . 31
10. Rescr. De praelatione festi SS. Cordis in Lusitania (18 feb. 1927) - *Annotationes* 36
13. Instructio de Missis in oratione XL Florarum (27 ap. 1927). — *Annotationes* . 46
22. A. Additiones et variationes in festo S. Ioann. a Cruce *(Summatim)* . . 69
B. Officium, Missa, Elogium S. Petri Canisii *(Summatim)* . . . 69
C. Decr. approbans Missale Romano-Slavonicum (*Summatim*) . . . 69
D. Promulgatio Append. Decr. auth. Rit 69
E. Elogia varia in Martyrologio 69
F. Causae beatificationum et canonizationum *(Summatim)* . . . 70

S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus.
14. Declaratio de philosophia laureae praeponenda (27-29 apr. 1927). — *Annotatio* 53

S. Paenitentiaria Apostolica.
11. Responsa de participantibus « Action Française » vel ei faventibus (8 mart. 1927) *Annotationes* 40
12. *(Offic. de indulgentiis).* Indulgentiae sollemnis dedicationis generis humani in festo Christi Regis (18 feb. 1927) — *Annotationes* 44
23. Indulg. formulae dedic. SS. Cordi et invoc. pro Iudaeis *(Summatim)* . . 71

S. Romana Rota
24. Conspectus sententiarum editarum anno 1926 *(Summatim)* . . . 71

Commissio Pontificia de re Biblica.
15. De praeponenda laurea gradibus academicis in S. Scripturae (26 feb. 1927). — *Annotationes* 53

Pontificia Commissio interpretando Codici.
16. Responsa de confraternitatibus SS. Sacramenti; - de indice funeralium taxarum obligante religiosos; - de publica expositione SS. Sacramenti . . . 55
Annotationes 56

Secretaria Status.
17. Litterae de aditu sacerdotum ad scholas normales (18 nov. 1920) - *Annotationes.* 61
25. Provisio Ecclesiarum *(Summatim)* 72
26. Nominationes 72
27. Necrologium 74
28. **Bibliographia** 75

PERIODICA

DE RE

MORALI, CANONICA, LITURGICA

TOMUS SEXTUS DECIMUS

SIBL. R. P.

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California
PDRM

BRUGIS
SUMPTIBUS BEYAERT
Via Notre-Dame

ROMAE (119)
UNIVERSITÀ GREGORIANA
Via del Seminario, 120

1927

16759

V. 16
1927

IMPRIMATUR

Iosephus Filograssi, S. I.
Praep. Prov. Rom.

IMPRIMATUR

Sorae, 29 dec. 1927.

† Antonius M. Iannotta
Episcopus Sorae, Aquini et Pontiscurvi

ISOLA DEL LIRI — Società Tipografica Arturo Macioce & Pisani

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

Dispensatio a forma matrimonii in casu perplexo

1. Titius, iuvenis agricola et Titia omnia cum proprio parocho iam composuerant, bannis etiam rite praemissis, ut quamprimum possent matrimonium inire, antequam in Americam emigrarent. Contigit itaque ut paucis horis antequam navem ascenderent, ambo simul ad parochum pagi Titiae accederent matrimonii celebrationem postulantes. At infeliciter parochus ea die arcessitus ab Episcopo, absens erat usque ad posteram diem. In has adducti angustias Patrem Guardianum adiverunt vicini conventus qui optime eos noverat atque exposita sua necessitate remedium efflagitarunt, simul rogaverunt ut confessionem ipsorum audiret priusquam adeo diuturno itineri se committerent. Audita porro confessione P. Guardianus rescivit ipsos in mala conversatione habituatos, nisi continuo unirentur legitimo vinculo, certo certius per totum itineris intervallum peccata cumulaturos innumera. Omnibus igitur perpensis, existimavit vi canonis 1045 probabilem saltem sibi fieri facultatem dispensandi hos sponsos a forma praescripta can. 1094 sq. Defectus enim licentiae a parocho conferendae istis rudibus sponsis erat *penitus occultus,* dum existimabant

P. Guardianum ipsius locum supplere posse. Casus idcirco occurrebat saltem *formaliter occultus*. Accitis idcirco duobus testibus inter suos subditos, ipse, absque expressa et determinata parochi licentia, matrimonio adstitit et postridie parocho redeunti authenticum actus initi testimonium tradidit, in libro parochiali inscribendum.

2. Haec facti species, etsi conficta sit, cuique rerum istarum experto videbitur profecto admodum verisimilis; imo et aliae eiusdem generis multiplices occurrere possunt. Fieri, v. g. potest ut in casu urgente matrimonii quod omnino differri non potest, deficiant parocho soli testes quorum copia erat. Cf. speciem veram, relatam *Per.* XIV, (122)-(124). Quare operae pretium esse duxi studio paulo penitiori rimari opinionem qua nixus est optimus ille P. Guardianus, unde manifestum tandem aliquando fieri posset, utrum, sicuti plerique autumant, tamquam omni probabilitate destituta abiici debeat, an contra rationibus non omnino spernendis forte suffulciri possit. Iudicabit eruditus Lector.

Verum, ne mens contrario praeiudicio occupetur, praestat ab initio quaedam removere quae solutioni obstare cuipiam videri possint.

Et primo quidem, nonne nimis ficticia cernitur ipsa proposita hypothesis, vel saltem adeo rara ut propter huiusmodi casus lex non sit condita?

Respondemus:

Nemo qui rerum humanarum vel parum expertus fuerit, autumabit circumstantias huius casus « in vita practica simul non verificari », — « neque accidere inter homines »: sponsorum examine peracto, consuetisque expletis bannis, parochus qui sciebat eos mox navim ascensuros, paratum se exhibuerat matrimonio celebrando, quandocumque voluerint, hi autem apparando itineri atque emigrationi intenti, ut expensis

parcerent, a suis laribus profecti non sunt nisi paucis horis ante quam navis a portu solveretur atque itinere interrupto ad domum canonicam accesserunt a parocho requirentes ut matrimonium expediret. At vero hic, qui solus erat sine cooperatore in pago, repente arcessitus ab Episcopo statim abierat, vespere sequenti reversurus, nec cogitaverat quidem de possibili adventu sponsorum, inopinata praesulis convocatione distractus, nec Patri Guardiano vices suas delegaverat. Utinam similis inadvertentia nunquam accideret! — Iam vero canon 1045 nequaquam conditus est ad providendum « casibus qui per ordinarium rerum cursum facile contingere possunt », sed praecise *his tantum casibus* improvisis qui ex ignorantia, fragilitate, neglegentia etiam culpabili sponsorum improvidis pastoribus occurrunt, ideoque his ad ultimas angustias redactis subvenire intendit legislator atque a sponsis etiam mediante confessario, utcumque maius malum avertere. — In casu proposito nemo, uti reor, ambiget P. Guardianum ante Codicis promulgationem potuisse uti aliquo ex illis remediis quae *casui perplexo* solvendo suggerebantur; iam vero omnia suadent Codicem concessionem canonis 1045 illis incertis remediis substituisse.

II. Obiici praeterea possit casum *non esse occultum,* prouti canone requiritur: quomodo occulta esse potest deficientia formae *publicae* ordinatae ad actus publicitatem? — Respondeo hanc deficientiam in se quidem esse publicam, sicut ipsa forma servanda est publica, ideoque impedimentum validitatis constituere suapte natura publicum; sed ex circumstantiis non aegre fieri posse nedum ut a partibus ignoretur deficientia, verum etiam ipsis totaliter dissimuletur, ideoque fiat *formaliter occulta.* — Iam vero constat saltem probabiliter sufficere posse canoni applicando, hanc *formalem* tantum *casus occulti* rationem. Qua de re,

ne alios notissimos DD. asciscam, eruditum lectorem remittere liceat ad ea quae disserui ipse in Ephemeride, *Ius Pontificium*, Anno VI, pag. 145 sq. (1926).

III. Ast nonne defectus formae ipsa legis suppositione excluditur? Lex facultatem dispensandi concedit: « quoties impedimentum detegatur, cum iam omnia sunt parata ad nuptias ». Nonne haec supponit formam servari?

Minime. Omnia parata esse ad nuptias: haec potius obvie intelligi debent de iis « quae celebrationi praemitti debent » ad tramitem capitis I (can. 1019-1034) et de praeparatione celebrationis ex parte sponsorum, quae dilationem sine gravi incommodo afferri non sinit; nequaquam vero de ipsa forma seu ipsa celebratione quae formam includit de qua in cap. VI (can. 1094 sq.). Porro de hac forma fit hic quaestio, cuius defectus invalidum per se relinquit actum. — Nisi quis velit petere principium non potest affirmare observationem formae verbis canonis supponi.

***

3. Can. 1045, Ordinario loci, recursuque ad eum impedito, parocho vel etiam confessario facultas fit dispensandi ab omnibus *impedimentis* de quibus in can. 1043, quoties impedimentum detegatur, cum iam omnia sunt parata ad nuptias, nec matrimonium sine probabili gravis mali periculo, differri possit usque dum a Sancta Sede dispensatio obtineatur. Idem porro statuitur ad simile praecavendum periculum, si matrimonium iam contractum indigeat convalidatione simplici. — Iam vero in canone 1043 ad quem remittimur, expresse conceditur facultas dipensandi distincta « tum super *forma* in matrimonii celebratione servanda, tum super omnibus et singulis *impedimentis* iuris ecclesia-

stici etc. » — Ergo videtur exclusa a concessione canonis 1045, dispensatio a forma, quippe quae in eo non repetitur.

4. Confirmatur haec conclusio eo quod defectus formae hodie non recensetur in Codice in capitibus II-IV tituli VII, *de matrimonio*, quae versant *impedimenta*, in genere, impedientia ac dirimentia, sed in capite VI, ubi *forma* extrinseca contractus describitur tum ad validitatem actus, tum ad liceitatem ex Ecclesiae praescripto observanda. Similiter in cap. V, sermo fit de iis quae ex parte *consensus* possunt invalidum efficere contractum. — Atqui legislator omnino reputandus est in toto Codice voluisse sibi cohaerere, quoties mentio et distinctio occurrunt *formae* requisitae et *impedimentorum*, cum ratione nomenclationis quam de iis adoptavit ex professo describendis. Idque eo certius retinendum, quo manifestius constat ipsum sibi praetulisse illam nomenclationem specificam quam tum Card. D'ANNIBALE, tum ipse Card. GASPARRI in suis editis tractatibus propugnaverant atque illustraverant tamquam magis accuratam et logicam, prae *generica* illa recensione qua passim in iure et iurisprudentia uno *impedimenti* nomine designabantur omnia et singula quae specifice sive ex parte personae, sive ex parte contractus, validitatem aut liceitatem quomodocumque inficiunt.

5. Igitur quia, iuxta notum iuris axioma, *lex id noluisse praesumitur, cum facile id exprimere potuisset, neque expressit*, censendum est donec oppositum non fuerit evidenter demonstratum, in canone 1045 datam non fuisse potestatem dispensandi a forma, sed tantum ab impedimentis in canone 1043 recensitis. Haec itaque est ratio propter quam scriptores hodierni fere omnes concluserunt canonem 1045 ita restricte esse intelligen-

dum omnemque abiudicarunt probabilitatem ab opposita opinione (1).

6. Non nulla tamen videntur animadvertenda quae, ni totus fallar, non parum elidunt vim huiusce interpretationis. PRIMO, tantum abfuit legislatoris intentio ut nova illa terminologia et *classificatione* quam adoptavit in Codice circa recensionem eorum quae matrimonii contractum inficiunt, excluderet antiquam universaliter receptam: ut potius hanc includeret et supponeret aliis verbis expressam in multis canonibus: quoties nempe *invalidum* declarat contractum initum absque forma praescripta, sive ex defectu testis qualificati, sive ex absentia testis subalterni, sive ex ratione modi suscipiendi consensum. Quae pronuntiata invaliditas profecto est ipsa *impedimenti* formalissima ratio, *iuridice* agnita. Imo, ut SUAREZ iam adverterat *(De leg.* L. V. cap. 19, n. 4), ipsum Concilium Tridentinum in irritatione contractus sine forma ab ipso praescripta, expresse declaravit *ipsas personas inhabiles.* Formalis ratio invaliditatis eadem fere utrinque comprobatur, sive irritetur contractus illa forma destitutus et consequenter actus ipse contrahentis, ut explicat SUAREZ, sive directe inhabilitentur personae, v. gr. consanguineae in 3^0 gr. collat., et consequenter irritetur earum contractus. Cuipiam igitur non immerito videbitur logicae minus consentanea distinctio et divisio eorum quae iuridice invalidant matrimonium, in duos terminos qui sub respectu invaliditatis inadaequate distinguuntur,

(1) Erit fortasse qui mirabitur quod plures ex iis qui can. 1045 tam stricte interpretantur, simul adhuc valere putant virtualem dispensationem ab impedimentis ecclesiasticis, quam, *ante Codicem,* secum ferebat concessa dispensatio ab impedimento disparitatis cultus. Nulla tamen habetur huiusmodi dispensationis necessitas propter quam silentium Codicis ex can. 20 supplendum esset; et Codex positive exprimit dispensationem virtualem quam concedit. Cf. c. 1053. Iidem, quoque, in c. 97 § 1, matrimonium *ratum* intelligunt de *omni* matrimonio valido etiam infidelium, quamvis c. 1015 § 1 nos expresse doceat ratum non esse nisi matrimonium baptizatorum. Quo iure dein, in c. 1045, tam scrupulose negant voci *impedimenti* latiorem usum qui passim ante Codicem receptus erat et qui occurrit in c. 1138 § 1.?

quod obtineret si praedicta nomenclatio sensu *exclusivo* esset intellegenda. In Codice itaque haec specifica nomenclatio videtur potius inducta solum ad capita aliquo respectu discernenda, nequaquam vero ad reprobandam atque e foro et iurisprudentia amandandam distinctionem *genericam* et denominationem ipsi consentaneam omnium *impedimentorum* matrimonialium, sive a forma extrinseca sive a defectu consensus, sive ab inhabilitate personae directe proveniant. Unde explicatur quomodo ille expertissimus canonista cui debetur index alphabeticus, potuerit quin a iuridica ratione agendi deflecteret, imo cum rectissimo criterio iuridico, practice annumerare clandestinitatem inter *impedimenta*.

***

7. Hac praemissa animadversione, iam nunc non apparet adeo aliena a mente legislatoris interpretatio canonis 1045, qua voci *impedimentis* attribueretur significatio illa *generica,* defectum etiam includens formae praescriptae, dummodo haec attributio demonstraretur exigi ratione et motivo legis, ideoque non esse extensiva sed *comprehensiva* et legis declaratoria.

Quocirca, SECUNDO, potius quam materiali verborum cortici adhaerendo praepropere delabamur in vitiosam conclusionem, ante omnia necesse est *naturam* legis accurate perspectam habere.

8. Canones 1043-1047 duos casus respiciunt in ordine ad dispensationem impedimentorum matrimonialium: alterum urgentis periculi mortis, alterum urgentis necessitatis moralis dispensandi ab impedimento, ne grave malum incurratur, quando, omnibus ad nuptias apparatis, matrimonium differri non possit. Perpensis notissimis decretis S. Officii ab anno 1888 usque ad annum 1912 aliisque SS. CC. responsis, manifestum

fit facultates quae primum illum casum spectant, fuisse concessas Ordinario loci, qua tali tamquam privilegium non contra sed praeter et ultra legem, in salutem animarum. Ita REIFFENSTUEL, cum communi Doctorum: « Aliud privilegium est *contra ius* ut exemptio a solvendis decimis, vel a iurisdictione Ordinarii, et huiusmodi, quae conceduntur contra ius commune. Aliud *praeter ius,* sive (ut alii loquuntur) *ultra ius;* v. gr. *potestas* absolvendi a reservatis, vel dispensandi, et huiusmodi: quando videlicet ipsamet materia, seu actus privilegii non est quidem in se iure prohibitus, sed tamen nonnisi certis personis concessus. » REIFFENSTUEL, *Ius can.* Libr. V, Tit. 33, nn. 7, 9, 10.

9. Porro hoc privilegium hodie *in iure communi insertum* legitur in canonibus 1043 et 1044, sed tum ratione personarum quibus attribuitur, tum ratione obiecti concessionis, tum ratione subiecti cui prodesse debet, ita ampliatum ut facile prodat intentionem legislatoris esse quam maxime favendi saluti animarum, scandalisque abolendis in societate christiana. Revera huiusmodi privilegium, quamvis omnis recessus a iure communi sit odiosus, *late est interpretandum, utpote beneficium collatum* non tam Ordinariis locorum, quam *populo christiano,* iuxta doctrinam apertissimam LEONARDI LESSII, *De iustit.* L. 2, cap. 42, n. 60, quam approbat REIFFENSTUEL, *De Rescr.,* n. 139; et est communis. Ius enim commune nequaquam excludit ipsum dispensandi actum sed legislatori reservat determinationem personarum quibus concedatur, ut paulo ante a REIFFENSTUEL audivimus, adeo ut concessio huius facultatis non tam contra quam praeter ius sit aestimanda.

10. Hisce profecto consonat hodiernum ius, canonibus 66, 68, 50 et 85, quibus, dum facultas dispensandi ad certum casum concessa dicitur strictae subesse interpretationi, facultates tamen habituales quae

conceduntur vel in perpetuum.... accensentur privilegiis praeter ius; haec autem ad instar rescriptorum quae nec commune ius nec ius cuiquam acquisitum laedunt, latam recipiunt interpretationem.

11. Haec quidem huiusmodi beneficio legislatoris conveniunt, quatenus vel solum spectatur uti privilegium Ordinariis particulariter impartitum; verum multo magis confirmantur ex eius insertione in Codice, qua naturam induit legis, legisque populo christiano, et animarum saluti quam maxime favorabilis. Iam vero constat huiusmodi legem eo praesertim quod cedit in bonum animarum, quasi per antonomasiam, uti scripsit SUAREZ, *De legibus,* L. VI, cap. IV, n. 1, sibi proprium habere ut, certis comprobatis conditionibus, *extensionem comprehensivam recipiat, ob identitatem rationis.*

***

12. At si proposita doctrina adamussim comprobatur in casu periculi mortis, de quo agunt canones 1043 et 1044, perfectissima analogia applicari debet alteri casui canone 1045 enuntiato: ibi etiam Ordinario loci, atque in eius defectu, parocho et confessario amplissima attribuitur facultas dispensandi, ut in bonum animarum, atque ad abolenda scandala a moribus populi christiani, medeatur necessitati morali inductae per casum illum *perplexum* qui in multiplici varietate contingentium inter homines, a saeculis theologorum vexabat industriosum ingenium, solutione authentica S. Sedis frustra exspectata. Imo maior et magis extensa urgebat necessitas huius remedii: dum enim in casu moribundi, plerumque unius alteriusve tantum animae salus est procuranda proxima morte terminanda: in casu perplexo agitur de removenda occasione proxima concubinatus continuati omniumque malorum quae ex eo dimanant in communitate christiana. Haec autem

mala sequerentur quidem ex malitia vel fragilitate hominum sed occasione praebita per legem impedimenti, quae dum fertur in bonum communitatis, saepe deflecteretur in eius detrimentum. Quod inconveniens ut, quantum fieri possit, removeatur, Ecclesia providet tot dispensationibus quibus disciplinae rigor humanae fragilitati temperatur; imo in multis legibus saltem pure prohibentibus, usum non improbat epicheiae.

13. Quocirca Codex iam latissime consuluit occurrenti necessitati canone 81, quo, ne irritante quidem lege exclusa, « a generalibus Ecclesiae legibus Ordinarii infra Romanum Pontificem », si difficilis sit recursus ad Sanctam Sedem et simul in mora sit periculum gravis demni, et de dispensatione agatur quae a Sede Apostolica concedi solet, potestate dispensandi ordinaria ipso iure muniuntur. Imo ex canone 15, in dubio facti eadem uti possunt.

At vero sola hac potestate Ordinariis reservata, nequaquam, sicuti compertum est, casui illi *perplexo* plene providetur, utpote qui maxime urget ex ipsa morali vel physica impossibilitate recurrendi ad Ordinarium, sive ex defectu necessariae morae, sive ex obligatione inviolabilis secreti. Ex alia parte, nec epicheiae locus datur cum certitudine, si finis legis irritantis in casu tantum particulari, cessaverit in contrarium, quod canone 21 satis innuitur non praecise de lege irritante, sed de lege lata ex praesumptione periculi generalis, cui profecto lex impedimenti matrimonialis aequiparari debet.

14. Totius idcirco novae legislationis indole inspecta, auctor eius canone 1045 huiusmodi urgenti necessitati providere voluit et, quin necessum haberet expresse intentionem suam manifestare, eidem effective consuluit generaliter significatis circumstantiis illis extremis, in canone memoratis: « quoties impedimentum detegatur cum iam omnia sunt parata ad nuptias,

nec matrimonium sine probabili gravis mali periculo differri possit usque dum a S. Sede dispensatio obtineatur ». Et in § 3: « solum pro casibus occultis in quibus ne loci quidem Ordinarius adiri possit, vel nonnisi cum periculo violationis secreti ». Porro verba haec sunt generalissima, nec restringuntur ad casum ceremoniae coram populo sollemniter peragendae, sed includunt etiam matrimonium, pro circumstantiarum necessitate, praeparatum quidem, sed secreto vel privatim ineundum. Imo *periculum gravis damni* cuius instantia in canone 81 requiritur ut Episcopus dispensare valeat, hic expresse declaratur significare probabilem nedum certam tantum eius existentiam.

Si comparetur § 1 canonis 1045 cum canone 81 et canone 15 constat illa § 1 can. 1045 non conferri Ordinariis novam potestatem, diversam ab ea memorata in his canonibus 81 et 15; sed explicite declarari quod implicite et generaliter tantum enuntiabatur in his. Revera et fontes allegati ad calcem canonis 81, referunt expresse canonem 1045 § 1 et 2. Iam vero potestas collata § 3 can. 1045, ut adaequate explicaretur exigebat illam expressam mentionem in § 1.

15. Quoad subiecta quibus potestas confertur, illae personae determinantur quibus ordinarie occurrere solet casus huiusmodi, parochus, scilicet omnesque sive a iure, sive ex speciali accepta licentia legitime vicem eius gerentes, et confessarius: isti sola concisionis causa non iterum nominantur, sed remissive tantum ad canonem praecedentem in quo occurrerat eorum mentio. Nullam enim iuridicam connexionem habent facultates utrinque collatae, sed materialem tantum similitudimen, sicut satis manifestum fit ex superius explicatis (n. 8, 12). Porro cum in § 3 canonis 1045, potestas confessario attributa neutiquam dicatur exercenda *in actu sacramentalis confessionis tantum*, et *pro foro tantum interno,* haec duplex restrictio arbitrarie

in hac § 3 adderetur. Natura enim officii confessarii nequaquam exigit ut ipse nonnisi in sacramentali foro agere valeat, aut in foro extrasacramentali sed interno tantum: si quidem auctor traditae potestatis huiusmodi limitationes non apposuerit, earum observantia unice dependebit ex circumstantiis particularibus casus, quae vel secum ferent necessariam connexionem cum sigillo sacramentalis confessionis, vel saltem dispensationem in solo foro interno extrasacramentali concessam: qua in ultima hypothesi, canon 1047 modum exhibet hanc dispensationem transferendi ad forum externum (1).

16. His sedulo perpensis, manifestissime se prodit *intentio* legislatoris in privilegio huiusmodi inserendo in corpore iuris communis, simul et *ratio adaequata* qua motus est, ut scilicet, scandalorum periculo remoto, provideret integritati morum et sanctitati pacti coniugalis inter christianos. Id autem non consequeretur, si pro omnibus adiunctis quibus ex vicissitudine rerum humanarum investiri contingit *casum illum perplexum,* medium non providisset dispensationis obtinendae ab occurrente impedimento dispensabili, independentem a necessario recursu ad Ordinarium, implicite praescripto canone 81 et canone 15.

17. Secus enim, quod ne cogitari quidem potest, potestatem ilam humanam Ordinariorum quantumvis et ipsam ad bonum populi christiani totaliter ordinatam, praetulisset *obligationi legis naturalis* abolendi scandala morumque perversionem e finibus Ecclesiae. Equidem verum est quod ipse Christus D. renuntiavit *impossibile* nempe *esse ut non veniant scandala;* id tamen tantum abest ut in omni casu extremo incommunicabilem atque intangibilem efficiat potestatem Ordinariis reservatam, ut potius suggerat eamdem ex ipso iure aliis pro necessitate deferri prudenter exercendam:

(1) Facile enim potest Confessarius, ex petita in sacramento licentia, sib. comparare notitiam extrasacramentalem.

18. Exinde profecto quae dicta sunt de periculo mortis, aeque sin et a fortiori transferenda sunt ad praesentem legislatoris dispositionem canone 1045 expressam: maiori scilicet necessitate ipsa maxime favorabilem et latam exigit interpretationem.

Consentaneae profecto sunt huic indoli favorabili canonis 1045, binae responsiones Commissionis ad Codicis interpretationem, 1 Martii 1921 ad IV, et 12 Novembris 1922, ad V *(Act. Ap. sed.,* Vol. XIII, pag. 178; et vol. XIV pag. 662).

Obiter liceat etiam heic annotare rationem fondamentalem concessionis, periculum scilicet scandali removendum, efficere ut, etiamsi res ad illud extremum adducta fuerit, ex negligentia sive parochi sive sponsorum, imo ex horum mala fide, *post factum* praevalere debeat ratio praedicta boni communis, ideoque locus esset usui factae potestatis, utique, procurata, quantum fieri potuerit, emendatione illius mali animi in sponsis, et si opportunitas se obtulerit, etiam negligentis parochi redargutione.

***

19. Nunc, TERTIO, solemne est in huiusmodi legibus iuris axioma: ubi eadem est ratio, eadem est iuris dispositio (BARBOSA, *Axioma,* 197, n. 3); quando scilicet est ratio seu *causa finalis adaequata, sine apparente diversitate:* alioquin enim diversitas rationis, diversitatem quoque iuris inducit; uti concinne adnotavit REIFFENSTUEL, *Ius Can.,* L. I, Tit. II, n. 410. Revera « cum eadem est ratio, uti prosequitur idem, n. 412, proprie non dicitur fieri extensio legis, sed magis declaratio: quia ex mente legislatoris comprehenditur omnis casus in quo concurrit illa ratio; unde ubi est eadem ratio sicut asserit BARBOSA, *Axioma* 197, n. 7, dicitur adesse eadem lex, *non extensive*, sed

comprehensive; » et est sententia communis. Idem porro explicat eximius SUAREZ, *De legib.* L. VI, Cap. III, n. 9, scilicet duplicem esse interpretationem mentis legislatoris, unam comprehensivam, aliam extensivam. Comprehensiva est quando per illam declaratur talem casum *comprehensum fuisse in mente legislatoris,* licet verbis non satis eam declaraverit; et citantur ab eo multi iuris loci. *Pure extensiva* interpretatio dicitur illa per quam extenditur dispositio legis ad casum *non comprehensum* sub mente legislatoris, propter similitudinem vel paritatem rationis. — Dum autem haec *pure extensiva* interpretatio nunquam sufficit ut dispositio legis obliget in casu ad quem fit extensio ex vi talis legis, sine adminiculo verborum (ibid. n. 10): Interpretatio vero illa *comprehensiva ex identitate rationis* locum habet, quando ratio haec est *adaequata* ratio legis, quia ex se sola movit sufficienter et efficaciter ad legem condendam et veluti finis unicus est integre intentus per legem. (n. 19).

20. Quod ita urgetur ab eodem ibid. n. 20: « Ut regula data procedat necessarium est rationem legis esse adeo intrinsecam et universalem ad casus omnes qui ex vi illius in lege comprehendi dicuntur, ut in ea habeant conexionem necessariam in ordine ad iustitiam et prudentiam legis, id est, ut sit contra rationem rectam vel contra prudentiam in quibusdam casibus ob talem rationem disponere, et non in omnibus eamdem rationem aeque participantibus. » — Quae confirmantur n. 22: « ratio est quia lex praesumitur esse iusta et prudenter ac debito modo a legislatore lata; non esset autem talis nisi esset adaequata rationi suae. Inde vero fit... hunc modum extensionis legis ex vi rationis, semper fieri, aut mediante ampliatione et extensione verborum in aliqua significatione saltem minus propria, aut ad vitandam absurditatem aliquam vel iniustitiam legis... Et specialiter declarari potest, quia ex vi rationis

non potest fieri extensio comprehensiva nisi sufficienter per illam indicetur voluntas legislatoris, quia voluntas mente retenta et non manifestata non obligat; ergo vel manifestatur per verba quia ratio cogit ut sic illam interpretemur, vel, si omnino desunt verba, quia eadem ratio cogit ut ea suppleamus, vel alio modo ad talem sensum illa accommodemus. Hoc autem nunquam licere potest, nisi quando id necessarium est ad vitandum aliquod absurdum in lege ».

***

21. Confirmatur legitimitas huiusce interpretationis comprehensivae ex reg. ult. iuris 6⁰: *Certum est quod is commitit in legem, qui verba complectens, contra legis nititur volutatem.* Et: *scire leges non hoc est, verba earum tenere, sed vim ac potestatem,* uti scriptum est in lege 17. *De legib.* FF. *Nec debet intentio verbis, sed verba intentioni deservire.*

22. Equidem verissimum est verba clara non admittere interpretationem, sed solum ubi sunt dubia, neque a verbis legis recedendum esse, nisi manifestum sit aliud intendisse legislatorem, sicuti omnes iuris interpretes instanter edocent (Cfr. LAYMANN, in cap. *Is cui.* De electione in 6⁰, et alii). — At vero iidem etiam docent verba esse improprianda et intelligenda secundum subiectam materiam, ut evitetur absurdum: « in omnibus, scilicet, ait SCHMALZGRUEBER, L. I. T. II, n. 48, in quibus, si non fieret eiusmodi extensio, sequeretur *iniquitas* aut *absurdum* ».

23. Porro manifestum est quod ubi expressissima et adaequata legis ratio eaque universalis, ab ea expresse applicatur uni casui, in bonum commune, applicanda est, iuxta mox traditam Suarezii doctrinam, alteri casui identico in quo, nisi fieret haec applicatio, sequeretur praecise idem damnum quod in primo le-

gislator intendit avertere; quin ratio ulla excogitari possit cur ipse voluisset hunc casum a beneficio concessionis excludi. Deest enim illa *apparens diversitas,* quam paulo superius audivimus a REIFFENSTUEL, exigi ut impediatur haec applicatio, quia diversitas rationis diversitatem quoque iuris inducit sicuti scriptum est in Cod. leg. ult. de ritu nuptiar.

24. Putarem igitur legitime posse concludi facultatem dispensandi a legislatore concessam in integro canone 1045 comprehendere etiam dispensationem super forma in celebratione matrimonii observanda, quoties eadem ratio urgeat propter quam aperte concessa est pro aliis impedimentis. Haec autem conclusio valet, sive in eo canone 1045 § 1 vox *impedimentis* sumatur sensu restricto qui ipsi attribuitur in divisione capitum tituli VII *de Matrimonio,* sive intelligatur in sensu *generico* pro omnibus quae qualicumque ex capite officiunt praesertim validitati contractus coniugalis; qui sensus, uti ostensum est a principio huius dissertatiunculae, nequaquam alienus est a iure Codicis.

25. In hoc ultimo casu, dispensatio super forma ex identitate rationis, eadem urgente necessitate, demonstratur in ipsa legis expressione et verbis *implicite* contineri. In prima vero hypothesi, lex censebitur ipsam non extensive sed *comprehensive* includere, non obstante verborum restrictione, ob indentitatem rationis adaequatae quae manifestissime determinavit legislatoris intentionem.

***

26. Quae cum ita sint, ut tandem redeam ad casum perplexum ab initio propositum, censerem Patrem Guardianum optime se gessisse imo nec potuisse aliter operari, stante urgentissima necessitate ex ipsa naturali lege orta, removendi proximum scandali continuati

periculum a sponsis iter maritimum statim instituturis. Necessitas legem non habet. Nec ulla, si vera sunt quae disserui, suppetit ratio ulterius recurrendi ad antiquos illos modos effugiendi perplexitatem casus, quem ratione explicata legislator ut sibi cohaereat, dici debet intendisse sicuti ceteros, quantumvis hi frequentius accidere possint. Libentius dicerem nova iuris dispositione casum perplexum revera *fuisse sepultum* et *optime fuisse consultum conscientiae fidelium, fine imposito gravissimae quaestioni.*

Consultius existimavi, ne cuiquam displicere viderer in re controversa, scriptores dissentientes reticere omnes, rationibus obiective tantum paulo penitius discussis. Quod Deus O. M., Auctor pacis et boni consilii, mihi bene vertat.

Romae, die 8 Aprilis, 1927.

GUILLELMUS ARENDT, S. I.

De Benedictionibus (praecipue S. Supellectilis).

Quaeritur imprimis:

I. Quid sit benedictio?

Benedictiones *sacramentalia* sunt iisque igitur haec definitio generalis Codicis convenit: « *Sacramentalia sunt res aut actiones, quibus Ecclesia, in aliquam sacramentorum imitationem, uti solet ad obtinendos ex sua impetratione effectus praesertim spirituales* » (can. 1144). Pressius autem benedictio definiri debet: « *Ritus, quo minister sacer nomine Ecclesiae aliquod spirituale vel temporale bonum hominibus vel rebus congruum a Deo impetrat* » (*Ephemerides Liturgicae*, 1925, p. 131). Benedictio iuxta praefatam definitionem est antiquissima; etenim iam in Libro Numerorum audi-

mus Deum loquentem Moysi: « Loquere Aaron et filiis eius: sic benedicetis filiis Israel et dicetis eis: Benedicat tibi Dominus et custodiat te, ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te et misereatur tui. Invocabunt nomen meum super filios Israel et ego benedicam eis » (Num. 6, 23-27) (1). Ex quo patet benedictionem proprie spectare ad sacerdotes seu ad ministros ab Ecclesia deputatos, cum laici ad ipsam impertiendam sint inhabiles. Idem dicit can. 1146; benedictio igitur laicorum, velut parentum, non est sacramentale, cum neque ab Ecclesia sit instituta neque eiusdem nomine fiat. In volumine quarto Decretorum authenticorum Sacrorum Rituum Congregationis haec habetur descriptio benedictionis: *" Benedictio ecclesiastica est precatio quaedam, quae fit* **nomine Ecclesiae** *et ex auctoritate a Deo ei concessa, quando nempe quis ratione sui muneris quo fungitur, petit a Deo ut vel personis vel rebus bona convenientia tribuat „....* « Deo itaque operante in ministerio sacerdotali, benedictio ecclesiastica suum sortitur effectum; non quidem *ex opere operato* ad instar sacramentorum, sed ex *vi precum Ecclesiae,* quae cum Christi sit sponsa, non potest non exaudiri ab eo pro merito et dignitate sua, quando aliquid pro filiis petit. *Tota igitur benedictionum ecclesiasticarum vis posita est in oratione et invocatione Ecclesiae, quae fit per suos ministros;* hinc est, quod *non aliis formulis, non aliis verbis uti quisque benedicendo debeat,* quam iis quae ab Ecclesia sunt constituta » (*Decr. auth.,* vol. 4, p. 360). Concordat hoc cum Codice edicente: « Benedictiones... invalidae sunt, si adhibita non fuerit formula ab Ecclesia praescripta » (can. 1148 § 2).

(1) Cf. G. ARENDT, S. I. *De sacramentalibus*, art. XII-XX, ubi tota quaestio evolvitur de efficacia benedictionis e Vetere et Novo Testamento, atque ex Traditione catholica. Quaestio *dogmatica* a Codice in statu quo antea manere sinitur.

Haec autem dispositio extenditur ad omnes benedictiones in **Rituali** Romano appositas aliasque similes, licet extra illud exstantes, ad usum tamen sacerdotum destinatas. Has igitur, quamvis reservatas, omnis sacerdos saltem valide conferre potest. Immo R. D. BARIN *(Commentarium ad Ius Liturgicum,* p. 221) autumat, quemvis sacerdotem licite quoque benedictiones pro *certis dioecesibus* approbatas et in Rituale insertas adhibere posse, dummodo privatim id faciat; « nam aliter, sic ipse, terram perperam occuparent » in ritualibus libris. Quae sentiendi ratio improbabilis est vel ideo, quia etiam Missae in Appendice Missalis non permittuntur nisi iis, quibus concessae sunt (cf. *S. R. C.*, n. 4400). Praeterea ipsum Rituale bis (tit. VIII, c. 24 & 25) dicit reservationem valere pro sollemni tantum benedictione; exceptio autem confirmat regulam in contrarium, alias scilicet benedictiones reservatas, per se, neque sollemniter neque privatim licere nisi iis, quibus reservantur.

Hoc vero sedulo notandum est. Etsi omnis sacerdos praefatas benedictiones reservatas, iuxta can. 1147 § 3, valide impertire possit sine necessaria licentia, nullatenus tamen applicare potest rei sic benedictae, v. g. scapulari, rosario, stationibus viae crucis, indulgentias absque debita facultate; aliud enim est benedictio, aliud vero communicatio indulgentiarum. (ANLER, *Comes pastoralis,* ed. 4, p. 186; *Epitome,* II, ed. 2. n. 465, 3 & 4.)

Num iuxta can. 1147 § 3, sacerdotes valide impertire possint etiam benedictiones in **Pontificali** exstantes, velut benedictionem Abbatis, vel ipsi Summo Pontifici reservatas, velut benedictionem rosae aureae, pallii, " agnus Dei „? Id negandum est ex ipso canone, cum inauditum fere sit in iure eas simplici sacerdoti committi, quamvis id fieri posset. Hinc in ipsam fere notionem earum benedictionum pontificale ministerium ingreditur, quod aequivalet clausulae irritanti c. 1147 § 3.

Multum proinde interest inter benedictiones Ritualis et Pontificalis. Omnes namque benedictiones Ritualis sacerdotibus destinantur, reservatae quoque, saltem eo sensu, quod licentia easdem peragendi sacerdotibus concedi possit soleatque; similis condicionis sunt nonnullae aliae benedictiones extra Rituale exstantes. Qua in re non est praetereundum, quod cit. can. 1147 licentiam tantum requirat ad istas benedictiones reservatas peragendas, sicque facultatem seu capacitatem iam adesse implicite affirmet. Nihil igitur mirum, quod seposita quoque licentia, valide fiant. Benedictiones vero Pontificalis aliaeque strictiore iure reservatae ita ab usu sacerdotum exci-

piuntur, ut neque valide nec a fortiori licite a sacerdotibus peragi possint. Ex hodierno itaque iure sine derivatione a Summo Pontifice haberi nequeunt vera pallia, rosae aureae, « agnim Dei ».

II. **Quomodo benedictiones dividantur?**

a) Ratione *ministri,* in *reservatas* et *non reservatas,* prout solum a determinato ministro (v. g. ab Episcopo vel alio praelato, immo a solo Pontifice Romano) fieri possint vel ab omnibus indiscriminatim sacerdotibus: hoc in novo Rituali Romano distincte indicatur. Romano Pontifici reservatur, exempli causa, benedictio pallii, « agnus Dei », rosae aureae, etc.; multae sunt benedictiones reservatae religiosis ordinibus, quarum in novo Rituali enumerantur quinquaginta duae.

Valde notanda est haec nova iuris dispositio: Benedictio reservata, quae a presbytero detur sine necessaria licentia, illicita est, sed *valida,* nisi in reservatione aliud expresserit Sedes Apostolica (c. 1147 § 3).

Ministri autem inferiores sacerdote, *diaconi* nempe et *lectores,* illas tantum valide et licite benedictiones dare possunt, quae ipsis *expresse* a iure permittuntur (can. 1147 § 4).

In novo Rituali singulis locis expresse indicatur, quid valeat **diaconus;** et sunt haec: potest in baptismo omnes exorcismos et benedictiones adhibere; salem tamen et aquam baptismalem benedicere nequit; potest quoque in communione infirmorum cum pyxide (si eam habeat) benedicere infirmum et, reversus in ecclesiam, etiam populum; similiter totum ritum servat in communione extra missam distribuenda, ideoque manu populum benedicit (sicut sacerdos) aut, ubi moris est, cum pyxide (cfr. *S. R. C.,* n. 3287); praeterea, quando supplet sacerdotem pro sepultura, totum

ritum servat et tumulum benedicere potest; haec itaque iuxta Rituale diaconus facere potest, quando legitime sacerdotem in his functionibus supplet.

Lectores possunt « benedicere panem et omnes fructus novos », ut in ordinatione Episcopus eis dicit.

Aliqui dubitant, ob non-usum fere generalem, de hac potestate lectorum. At immerito, cum Codex aperte eam profiteatur. Quam benedictionem lectores publice quoque peragere possunt; verum semper in ea condicione versantur, in qua etiam multi sacerdotes sunt, scilicet abstinendi a publica benedictione, dum degunt in alieno territorio seu in aliena ecclesia, nisi adsit debita licentia (BARIN, *Commentarium ad Ius Liturgicum,* p. 222).

Alia **divisio benedictionum** est:

b) ratione **formae,** in *verbalem* et *realem,* prout solis verbis conficitur aut adiuncta quoque unctione; benedictiones autem cum unctione proprie **consecrationes** appellantur et ab iis tantum valide peragi possunt, qui vel iure vel apostolico indulto facultatem obtinent (can. 1147 § 1). Benedictiones verbales e contra, ut supra dictum est, etsi reservatae, ab omni sacerdote *valide* impertiuntur, nisi expresse aliter in reservatione fuerit statutum; illicite tamen sacerdotes agunt idque sub levi (CAPPELLO, *De Sacramentis,* I, n. 114), si quoad reservatas facultate carent et causa excusans non habetur.

c) Ratione **effectus,** aliae benedictiones *constitutivae* sunt, aliae *invocativae.*

Benedictiones *invocativae* illae sunt, « quibus Dei benignitas invocatur, ut vel personis vel rebus, pro benedictionis diversitate et vario rerum benedicendarum usu, aliquid boni tribuat easque a malo vindicet, non tamen immutato earum statu ». Istae res igitur sacrae non fiunt, licet benedictae sint, v. g. domus, cibus ager, vel etiam persona, veluti mulier in benedictione

mulieris post partum etc.; hinc relinquuntur usui consueto, honesto tamen.

Benedictiones *constitutivae* vero illae dicuntur, « per quas personae vel res benedictae ad divinum cultum destinantur et in statu permanenti res vel personae sacrae constituuntur: ita ut hunc statum benedictione receptum amplius non immutent neque ad profanum statum aut usum redire possint aut profanae ullo modo considerari vel effici valeant » (*Decr. auth.*, vol. 4, p. 360). Hae sint in exemplum: benedictio ecclesiae vel coemeterii, aquae baptismalis, candelarum; benedictio abbatis, consecratio virginis et similes.

Proinde res benedictae benedictione constitutiva, cum *sacrae* sint seu quoddam esse sacrum habeant, iuxta praescriptum Codicis « reverenter tractentur neque ad usum profanum vel non proprium adhibeantur etiamsi in dominio privatorum sint » (can. 1150 & 1296 § 1). Hinc non licet uti candela benedicta tamquam lumine vulgari, nec bibere aquam benedictam ad sitim exstinguendam; verum haec ex iusta causa facile excusantur (VERMEERSCH, *Theol. Moral.*, II, n. 272; *Epitome*, ed. 2, II, n. 468). Sine iusta causa igitur res consecratae vel constitutiva benedictione benedictae sacris usibus subtrahi non possunt. Si causa desit, culpa levis per se est; at potest etiam gravis fieri, v. g. ratione scandali, contemptus, etc., vel si res ad usum sordidum omnino adhibeatur (CAPPELLO, *De Sacramentis*, I, n. 122; *Periodica*, 14, p. (82). *S. R. C.*, 2 maii 1919, merito tamquam usum non proprium prohibuit usum bursae corporalibus includendis destinatae pro colligendis eleemosynis (*Decr. auth.*, n. 4354).

Porro non licet sacra paramenta vasaque *alienare* nisi in servitium alius ecclesiae et ad usus sacros et pios. Sic legitur in Pontificali (Ordo ad Synodum, admonitio finalis Episcopi): « Vasa sacra et vestimenta sacerdotalia nolite negotiatori aut tabernario in pignus

dare ». Si vero benedictionem amiserint neque in pristinum statum restitui possint, alia ex iis conficere praestat, v. g. ex planeta manipulum, velum calicis et similia, eaque denuo benedicere. Quae vero partes amplius inservire nequeunt, comburantur et cineres in sacrarium mittantur (De Herdt, *S. Liturgiae Praxis,* ed. 10, I ,n. 170; Van der Stappen, *S. Liturgia,* III, ed. 3, q. 119). Hoc laudabiliter fit; licere enim nonnulli censent vestes sacras usu consumptas, mutata tamen forma, ad civilem aut profanam utilitatem adhibere. Res sacrae vero ex toto immutatae, ita ut ad communem materiam redactae sint, v. g. vasa sacra fuso metallo, ad omnem usum adhiberi possunt (Vermeersch, *Theol. Moral.,* II, n. 272; *Periodica,* 14, p. (82)). Quae rei sacrae deformatio propter iustam causam facta licere dicenda est. Sicubi v. g. vestes vel calices multo elegantiores hucusque usitatis substituantur, vetera forte difficulter pro valore suo alii ecclesiae venumdari possent. Nisi igitur in casu liceret veteres vestes sacras in partes secare vel calicem consecratum liquefacere vel alia ratione destruere, itaque harum rerum valorem sub alia forma fructuose pro piis et salutaribus finibus adhibere, sacerdos vel rector ecclesiae cogeretur, ut steriles apud se vel in arca ecclesiae servet superfluas res sacras. Sed id licere indubitanter affirmandum est, cum Ordinarius loci possit in usum profanum non sordidum redigere ipsam ecclesiam, quae nullo modo ad divinum cultum adhiberi nec refici queat (can. 1187; *Periodica,* 14, p. (82)).

III. **Quaenam ad benedictionem requirantur?**

Accurate serventur ritus ab Ecclesia probati; immo benedictiones quaelibet invalidae sunt, si adhibita non fuerit formula ab Ecclesia praescripta (can. 1148).

Praeterea materia benedicenda debet esse **praesens,**

cum signa, aspersiones vel incensationes nonnisi super materiam praesentem fieri possint; ita ut si materia praesens non fuerit, nec orationes Ecclesiae nec signa crucis, aspersio et incensatio ad eam extendantur. Ad valorem tamen benedictionis *moralis* obiectorum praesentia sufficit. Quousque autem haec extendatur, generali regula definiri non potest, sed ex morali prudentum iudicio pendet. Si agitur de multitudine populi qui unum corpus efficit, vel de agrorum extensione etc., dummodo praesens sit pars aliqua, indubie valida est benedictio, etsi plures res vel personae notabiliter distent. Similiter sacerdos potest unico crucis signo benedicere publice omnia numismata fidelium in aliqua ecclesia vel conventu astantium, etsi haec numismata non videantur neque in individuo cognoscantur, ut *S. Officium* declaravit die 5 iunii 1913 ad l *(A. A. S.,* V, 103; *Per.* VII, 161), vel involucro contegantur *(Monitore Ecclesiast.,* vol. 30, p. 129, n. 121). Certum tamen est eas res non esse benedictas, quae sub vestimentis aut inter populi assistentis multitudinem quasi absconditae retinerentur (De Herdt, *S. Liturgiae Praxis,* ed. 10, III, n. 294; De Amicis, *Il Ceremoniale Completo,* III, n. 49; Van der Stappen, *S. Liturgia* IV, ed. 3, q. 332 nota).

De **ritu** pauca addemus, ne longi simus. In *Rituali Romano* (tit. 8, c. l, n. 6 ss) indicantur regulae generales servandae in benedictionibus extra missam, de quibus solis hic est sermo. Nisi aliter propriis locis in Rituali statuatur, « in omni benedictione extra missam sacerdos *saltem* superpelliceo et stola coloris tempori (seu officio diei) convenientis utatur » ; unde si peculiaris color vel aliud indumentum notatur, eo utendum est. Potest indui quoque pluviale, si placet, idque in sollemni benedictione valde convenit.

Num in benedictione privata *extra* locum sacrum, v. g. in cubiculo sacerdotis, stola absque cotta sufficiat, plerique auctores post responsum *S. R. C.,* n. 3697,

ad 15 negare videntur; verumtamen usus fert, ut hoc in casu sacerdos stolam tantum deferat. Idque recte. Nam primo responsum romanum huius tenoris « serventur rubricae » vel « servetur rituale », etc. ambiguum esse potest (cfr. *Decr. auth.*, n. 3064 ad 4) prae alio « affirmative aut negative iuxta rubricas », vel similis tenoris ideoque saepe parum probat. Deinde clara responsa S. Sedis in quibusdam benedictionibus nullas sacras vestes requirunt. Sic ipsa *S. R. C.*, approbans formulam breviorem benedicendi rosaria mariana (*Rit. Rom.*, Appendix, Bened. propr. Ordinum, n. 36) ipsum usum stolae permisit arbitrio sacerdotis his verbis : « Stola et aqua benedicta adhiberi possunt ad libitum » (ap. BERINGER, *Les Indulgences*, Paris 1925, II, p. 417 n. 484 a) ac *S. Officium* declaravit Apostolicam Sedem consuevisse permittere, ut in benedictione devotionalium « sacerdotes delegati unico crucis signo utantur, nulla adhibita formula, *nullis vestibus sacris*, absque aliis caeremoniis » (18 maii 1914, *A. A. S.*, VI, 346, *Per.*, VIII, 202; cfr. *S. C. Indul., Decr. auth.*, n. 281 ad 5, 213 ad 2-4, 401). Hinc favente usu facile concludes *generatim* in benedictione privata *extra* locum sacrum stolam absque cotta sufficere. Concordat CAPPELLO (l. c. n. 119, 2), cum usum cottae et stolae requirit pro benedictionibus tantum, « quae de praecepto vel publice in ecclesia vel in oratoriis publicis coram populo ad id congregato fiunt ».

Praeterea sacerdos « stando semper benedicat et aperto capite... Postea rem **aspergat** aqua benedicta et, ubi notatum fuerit, pariter incenset, nihil dicendo ». Deficiente aspersione praescripta, benedictio invalida fit; nam « haec aspersio cum precibus ad benedictionem ut causa efficiens benedictionis concurrit, quia res precibus et simul aspersione benedicuntur » (DE HERDT, *S. Liturgiae Praxis*, ed. 10, III, n. 295,6).

Requiritur quoque minister inserviens : qui tamen in benedictione simplici et privata deesse potest, et

tunc sacerdos ipse omnia praeparet. *Lumen* accensum non praescribitur; convenit autem cereos accendere si benedictiones in altari fiunt.

Quibus praemissis iam accedamus ad quaestionem.

IV. De sacra supellectili benedicenda

Supellex sacra, de praecepto benedicenda, antequam ad usum sibi proprium adhibeatur, sunt paramenta: 1. **altaris,** scilicet *linteamina* vel *mappae* seu *tobaleae* (Rubr. gen. miss. XX ac de defect. X 1), deinde 2. **calicis,** nempe *corporale* et *palla* (rit. servand. I, 1 ac de defect. X, 1), tum 3. **celebrantis,** i. e. *humerale, alba, cingulum, manipulus, stola ac planeta* rit. servand. I, 2 ac de defect. X, 1); denique 4. **vasa sacra,** quae benedicuntur *sine* unctione sacra, nempe *pyxis, lunula, ostensorium, vasculum* pro ss. sacramento ad infirmos deferendo ac *tabernaculum proprie dictum* (rit. servand. II, 3; *S. R. C.* n. 926 ad 5 & 4035 ad 4). Benedictio autem pyxidis, lunulae, ostensorii obligat sub levi; immo sunt, qui censeant hanc benedictionem esse solum de congruo ideoque non peccare sacerdotem, qui pyxide non benedicta utatur (cfr. Cappello l. c. n. 399; Cocchi in can. 1304).

Calix vero missae cum patena *consecrandus* est ab Episcopo vel a sacerdote praedito speciali facultate, sive ex iuris praescripto sive ex apostolico indulto (can. 1147 § 1).

Decet benedicere pluviale, dalmaticam, tunicellam, superpelliceum. Benedicenda vero non sunt bursa et velum calicis, velum humerale, purificatorium *(S. R. C.,* n. 2572 ad 12), atque eo minus ea, quae indirecte tantum ad sacrificium pertinent *(Ephemerides Liturgicae,* 1925, 208); *purificatorii* loco igitur quodlibet strophiolum mundum adhiberi potest, absque benedictione.

V. De benedictionum formulis.

Adhibendae sunt sequentes *quatuor* formulae, quae in *Missali* ac *Rituali Romano* exstant; iis autem, quae in Pontificali habentur, sacerdotibus non licet uti *(S. R. C.,* n. 3392. 3524 ad 2 et 2533 ad 1), cum ad Episcoporum usum sint destinatae. Rituale autem ea exhibet, quae sacerdotibus competunt; quare prius etiam vocabatur « *Sacerdotale* ».

Singulae formae vero sunt hae:

« *Benedictio sacerdotalium indumentorum* » *(Rituale Rom.,* tit. 8, cap. 20), qua omnia paramenta sacerdotis in missa adhibenda benedicuntur, etiam unum tantum, v. g. una stola; sed tunc formula, quae in plurali numero ponitur, in singulari est recitanda, ut novum Rituale expresse indicat.

Altera « *benedictio mapparum seu tobalearum altaris* » (ib. cap. 21) adhibetur pro tribus mappis seu linteaminibus altaris; etiam haec mutatur in numerum singularem, si una tantum benedicenda sit.

Tertia « *benedictio pallae et corporalis* » (ib. cap. 22) adhibetur, ut ipse titulus indicat, pro dictis paramentis calicis; non mutatur tamen numerus, sicut in aliis.

Sacra vasa recensita ipsumque tabernaculum benedicuntur benedictione « tabernaculi seu vasculi pro sacrosancta Eucharistia conservanda » (ib. cap. 23). Haec adhiberi potest etiam pro ostensorio; sed habetur altera quoque in hunc finem in *Appendice Ritualis,* quae similiter adhiberi potest (Bened. reserv. I, 3).

VI. De obligatione has benedictiones impertiendi.

Haec iuxta auctores dicenda sunt. Benedictio mapparum altaris sub *veniali* requiri videtur, ita ut causa rationabilis excuset. Sed generatim censent esse *mor-*

tale, si missa celebretur cum corporali non benedicto, nisi necessitas excuset.

Similiter multi censent esse *grave* peccatum, si sacerdos utitur paramentis non benedictis, nisi excuset materiae parvitas, v. g. si manipulus non sit benedictus. Verum nobis videtur omnino praeferenda sententia Cardinalis GASPARRI, quam etiam probant GÉNICOT-SALSMANS. *(Inst. Theol. Moral.,* ed. 10, II, n. 248) ac tuetur CAPPELLO (l. c. n. 806). GASPARRI enim *(De Eucharistia,* II, n. 713) eam sententiam vocat rigidam, quae tenet celebrationem v. g. cum alba vel casula non benedicta esse peccatum mortale.

Verum quidquid sit de his sententiis, hodie unusquisque facile effugere potest omne peccatum hac in re, quod maximi momenti nobis esse videtur. Iam diximus benedictiones reservatas *valide* ab omni sacerdote fieri posse, nisi contrarium expresse sit statutum (can. 1147 § 3). Sub veniali autem iuxta CAPPELLO (l. c. n. 114) sacerdotibus prohibitum est eas sine debita facultate impertire; hinc ex qualibet rationabili causa *licet* eas benedictiones peragere, etsi peculiaris facultas non habeatur. Rationabilis autem causa certe est illa, ne sacerdos cogatur celebrare cum paramentis non benedictis et sic iuxta multos se exponere periculo gravis peccati. Si igitur ex una parte quaedam causa rationabilis urgeat ad celebrandum cum paramentis nondum benedictis et ex altera parte difficile sit facultatem in casu obtinere, quilibet sacerdos ea benedicere potest *valide* (ut diximus) atque ob adiuncta etiam licite et sic effugere omne peccatum. Prius hoc effugium non aderat, ideoque apud auctores non memoratur, quia tunc non ita constitit omnem sacerdotem (sicut hodie) valide dare posse benedictiones reservatas.

Sed etiam hodie *raro oportet* ad hoc effugium recurrere, quia, ut statim videbimus, tot sunt sacer-

dotes, quibus nunc ex iure competit facultas easdem benedictiones impertiendi.

Hactenus de obligatione. Succedit iam haec altera quaestio:

VII. **Quinam sacram supellectilem benedicere possint?**

Huic quaestioni Codex distincte respondet ita (can. 1304): Benedictionem omnium paramentorum ac vasorum, quae iuxta dicta benedicenda sunt, impertire possunt:

1. *Cardinales et Episcopi* omnes et ubique;

2. *locorum Ordinarii* charactere episcopali carentes (can. 198: v. g. Vicarius generalis, qui non est Episcopus, Praefectus Apostolicus) pro ecclesiis et oratoriis proprii territorii;

3. *parochi* pro ecclesiis et oratoriis in territorio suae paroeciae positis et *rectores ecclesiarum* (can. 479) pro suis ecclesiis;

4. *sacerdotes* a loci Ordinario *delegati,* intra fines delegationis et iurisdictionis delegantis;

5. *Superiores religiosi* et *sacerdotes* eiusdem religionis ab ipsis *delegati* pro propriis ecclesiis et oratoriis ac pro ecclesiis monialium sibi subiectarum (can. 488, 7 et 500 § 2).

Sufficit pauca notare. Res semel benedictae pro usu alicuius ecclesiae non debent iterum benedici, si in aliam ecclesiam transferuntur, etiamsi benedicenti facultas tantum fuerit pro suis ecclesiis.

Cum Codex bis expresse dicat hoc in loco, quinam possint aliis facultatem delegare, sequitur alios, v. g. parochos, hanc facultatem minime delegare posse, quamvis dubitent aliqui auctores. Confer similem causam de non deleganda a parochis iurisdictione ad confessiones recipiendas, licet ordinaria eis sit (can. 873 § 1; *Pont. Commissio,* 29 oct. 1919, *A. A. S.,*

XI, 476; *Per.*, X, 100). Fines autem delegationis (supra n. 4) desumendi sunt ex tenore facultatis delegatae, v. g. ad mensem vel pro determinatis tantum paramentis, etc.

VIII. **Quandonam amittatur benedictio paramentorum ?**

Huic quaestioni iterum Codex perspicue respondet ita (can. 1305): « § 1. Sacra supellex, benedicta (aut consecrata, de hac tamen non loquimur, igitur: sacra supellex benedicta) benedictionem amittit:

« 1. si tales laesiones vel mutationes subierit, ut pristinam amiserit formam et iam *ad suos usus non habeatur idonea ;*

« 2. si ad usus indecoros adhibita vel publicae venditioni exposita fuerit ».

Benedictio igitur indumentorum est constitutiva seu efficit, ut res benedicta non amplius amittat benedictionem atque esse sacrum, nisi ob causas in iure descriptas, praesertim ob immutationem, quae rem efficiat inutilem ad usum sibi proprium, et tunc, restituta forma pristina, denuo benedicenda est. Sic, ut exempla demus, alba amittit benedictionem, si manica, quae consuta erat, abscindatur, vel si cingulum ita scindatur, ut iam neutra pars sufficiat cingendo sacerdoti, vel cuppa ciborii perforetur vel separetur a pede; tanta est enim in casu mutatio, ut res « pristinam amiserit formam et iam ad suos usus non habeatur idonea » (can. 1305). Vix autem annotare oportet ea paramenta seu vasa non amittere benedictionem, quae arte ita facta sunt, ut possint separari, v. g. si manicae cum alba globulis coniungantur ideoque solvi possint vel si pes ciborii tornatilis sit seu cochlea coniungatur cum cuppa, quia res ita remanet idonea ad suum usum seu sine reparatione facile redditur idonea.

Non omnis venditio, sed *publica* tantum tollit benedictionem ; sacrae vestes igitur amittunt benedictionem, si a negotiatore publicae venditioni exponuntur, etsi reapse non vendantur, v. g. in armario antiquarii.

Demum qui sint usus indecori, prudenter aestimandum est ideoque dissensus esse potest. Auctores autem observant non haberi pro indecoro usum sacrae vestis factum a sacerdote degradato vel sectae haereticae. (*Epitome,* ed. 2, II, n. 634). In *dubio,* num usus habendus sit indecorus, nova benedictio est consulenda ad cautelam saltem, licet non sit necessaria.

FRANCISCUS HECHT, P. S. M., Limburgi
in Germania

Cur restitutio pauperibus facienda praecipitur

Ubi locus est restitutioni bonorum quorum dominus post debitam investigationem omnino ignotus manet, doctrina communis fert restitutionem faciendam esse pauperibus, aut bona illa operibus piis esse insumenda. Quod autem ad huius obligationis fontem rationesque intrinsecas indicandas, non una est doctorum sententia. Ne prolixiores fiant citationes, unum alterumve modernorum imprimis audire sufficiat.

LEHMKUHL (I, n. 1216):

« Scriptores omnes qui hac de re tractaverunt hanc obligationem propugnant eamque clare docent, non tantum quando bona aliena iniuste *possidentur* sed etiam quando ex sola *damnificatione* debita contracta sunt,..... quamquam nonnihil dissident in assignando fonte huius obligationis. LESSIUS, LAYMANN, SALMANTICENSES, etc., quibus assentit S. ALPHONSUS (V, n. 71), obligationem repetunt ex *lege positiva canonica,* quae expresse id statuat de usuris et de pretio simoniaco, et quam *consuetudo*

consensusque doctorum atque *ius gentium* ex paritate rationis interpretata sint de omnibus debitis ex delicto ortis. Communius autem LUGO aliique totam obligationem ex *ipso iure naturali* derivant, cum lex naturalis iustitiam commutativam, si laesa fuerit, reparandam exigat non tantum propter ipsum dominum laesum sed etiam propter humanam societatem atque communem possessionum securitatem. Hinc fit ut si dominus laesus inveniri non possit, in bonum societatis humanae restitutio fieri debeat; quod aptiore modo non agitur quam pauperes causasve pias eligendo, quorum sublevatio in societatis humanae bonum et commodum redundat ».

GÉNICOT-SALSMANS (Edit. 1922, I, n. 552):

« Sententia communis tenet rem pauperibus vel causis piis esse dandam. De argumento autem quo obligatio illa probetur, doctores nonnihil dissident. Multi enim eam repetunt ex *ipso iure naturali* quod statuat « res male acquisita servari non potest », saltem ob commune totius societatis humanae bonum, ne scilicet periclitetur securitas rerum in consortio humano..... Alii tamen, quibus adhaeret S. ALPHONSUS (L. 5, n. 71), eam obligationem e solo *iure canonico* satis constare existimant. Nempe universalis gentium christianarum *consuetudo* ad omnia debita e delicto orta extendit quod in iure canonico de pretio usurario et de lucro ex officio immerite suscepto statutum erat. Codex autem Iuris Canonici de hac re silet.

« Quae tamen argumenta non certo probant obligationem, ubi *mera damnificatio* admissa est (1); neque ultra id quo quis *ex detentione rei alienae* adhuc ditior est. Etiam in hoc casu, ubi quis deberet se spoliare re aliena iniuste acquisita,... obligatio non est gravis nisi de materia absolute gravi agatur, nec est urgenda a confessario cum probabili dispendio animarum. Nec ita difficulter S. Sedes compositionem concederet ».

VERMEERSCH (II, n. 676):

« *Natura ratam habere nequit possessionem* quam hoc titulo fur servare vellet. Quare ea se spoliare debet, eandemque pau-

(1) Distinctio illa inter *possessionem* et *damnificationem* nuper inducta esse videtur. Notari potest apud GÉNICOT aliqua doctrinae evolutio. Nam in prioribus editionibus eius operis nulla huiusmodi distinctio invenitur. Quod ad fontem obligationis, ipse, ante Codicem videbatur eam ex iure canonico derivare; nam hanc sententiam referens addebat « Quod probabilius videtur », quae verba in editione 1922 primum omissa sunt; et simul ibi primum additum est illud « Codex autem Iuris Canonici de hac re silet ».

peribus vel operi pio addicere. Conclusio ab omnibus admittitur. Probationem difficilem esse non pauci fatentur. Hanc praeferimus. Qui ex iniuria *rem possederit* debet eo solo modo quo potest alterum indemnem praestare. Solus modus est ut rei male usurpatae vel eius valoris eum faciat usum quem persona laesa ratum habere rationabiliter debeat. Quisnam alius indicari potest praeter pium usum, quo bonum commune procuratur, et simul animae personae laesae consulitur?

« Si vero agitur de iniusta *damnificatione* qua malefactor nihil acquisivit, communis sententia hunc quoque obligat ut pauperibus tribuat valorem quem ignoto domino reddere nequit. Sunt tamen qui hanc obligationem non urgent » (1).

In his adiunctis operae pretium esse potest quaestionem etiam apud *veteres* auctores examinare, et iudicium, si quid pro modulo nostro possimus, ex intrinsecis rationibus afferre.

At imprimis advertendum est ad sententiam S. ALPHONSI. Quamvis S. Doctor non semel citetur tamquam favens sententiae quae obligationem ex sola lege positiva repeteret, id nobis minus certum videtur. Nam ea quae habet in Lib III, Tract V, n. 589 (Edit. Gaudé, Vol. 2, p. 78) hanc quaestionem integram relinquunt. Dicit enim:

« Tunc restitutio fieri debet pauperibus, *ut habetur* in cap. Cum tu, de usuris, ubi praecipitur, etc ».

Sed ut patet, mera citatio loci ex Iure Decretalium minime importat *negationem* eiusdem obligationis ex lege naturae. Immo S. Doctor potius fontem naturalem obligationis *admittere* videtur, ubi quaerit (1. c., n. 591): « An valeat compositio (Pontificia) facta sine sufficienti causa? » et respondet:

« Verius distinguentum cum LUGO et dicendum eam valere si restitutio sit facienda ex sola lege ecclesiastica, puta ex fruc-

(1) Sine distinctione inter restitutionem pro possessione et pro damnificatione, obligationem esse *iuris naturalis* censet BUCCERONI (II, n. 1421). Contrariae sententiae favet NOLDIN (Edit. 1924, II, n. 503). FERRERES (I, n. 837), et SABETTI-BARRETT (Edit. 1926, n. 448) rationes ex utroque iure hauriunt, definitive autem a praeferentia indicanda abstinent.

tibus ecclesiasticis male perceptis; secus si restitutio aliunde sit debita. Ratio primi, quia Pontifex in lege propria valide dispensat; ratio secundi, quia bonorum aliunde debitorum Pontifex non est absolutus dominus. An autem id possit Pontifex pro bono spirituali communi? Vide LUGO, Disp. 6, n. 96 ».

Cardinalis DE LUGO autem, ut mox videbimus, certo certius totam obligationem ex *iure naturali* repetit.

S. THOMAS paucis verbis obligationem ut certam refert: verum, eius fontem, utrum sit ex lege positiva an naturali, non determinat (1).

Profecto, post Codicem qui de *generali quaestione* restitutionis pauperibus faciendae omnino silet, iam impossibilis evasit sententia quae ex solo *Iure Canonico stricto sensu accepto* hanc obligationem oriri contenderet. Leges civiles plerumque rem alto silentio praetermittere aeque fatendum est. Iamvero, exclusis lege ecclesiastica et legibus civilibus, nihil restat nisi ut obligatio, si adhuc existat, ex iure gentium vel ex ipsa lege naturali repeti debeat.

Ius gentium, secundum IUSTINIANUM, conflatur ex istis Iuribus « quae, *usu exigente,* et humanis necessitatibus, *gentes* humanae sibi *constituerunt* (2) ». SUAREZ hac definitione nititur ut ex ea demonstret ius gentium non fundari in solo instinctu naturae, sed potius esse *usu constitutum;* tamen esse ita *consentaneum naturae* ut quasi *instigante natura* oriatur, ideoque sit *fere* omnibus gentibus *commune* (3). Huiusmodi consuetudo, ut patet, praecipue versatur circa relationes variarum gentium et civitatum inter se. Itaque ex iure gentium, hoc priore « modo » accepto, ortum habet « lex » ut vocatur « internationalis » hodierna. Exsistit autem secundum SUAREZ, etiam alter « modus » iuris gentium.

---

(1) 2a 2ae, q. 62, a. 5, ad 3; in 4 dist. 15, q. 1, a. 5, solut. 4, ad 1.
(2) SUAREZ, *De Legibus,* L. 2, c. 19.
(3) *De Legibus,* L. 2, c. 19 et 20.

« Posterior modus iuris gentium continet quaedam praecepta vel ritus aut modos vivendi qui per se et directe non referuntur ad universos homines, neque habent veluti pro fine proximo convenientem societatem et comunicationem omnium nationum *inter se :* sed in unaquaque republica foro suo conveniente regimine constituuntur. Et nihilo minus tales sunt ut in usu similium rituum aut legum, fere omnes nationes inter se conveniant, vel similitudinem habeant, interdum genericam, interdum veluti specificam (1).

Exempla adducit ritum colendi Deum per sacrificia, consuetudinem secundum quam homines status specialis deputantur ad cultum Dei. Pauca deinde addit quae ad vitam individualem propius accedunt, quae sunt « sedium occupatio, aedificatio, munitio, usus pecuniae, etc. ». Tandem etiam iuri gentium attribuit aliqua genera contractuum, ut emptionem et venditionem et similia, quibus nationes singulae *intra se* utuntur.

Conceptum Suarezianum iuris gentium sic breviter examinare operae pretium erat, quia si ille conceptus recte intellegitur, non facile apparet quo pacto ex illo solo iure repeti possit positiva et specifica obligatio de qua agimus. Sumamus exempla allata, v. g. usum pecuniae. Tandem aliquando haec mera consuetudo est. Nullus individuus homo ad usum pecuniae iure gentium moraliter tenetur. Similiter emptio et venditio pertinent ad communem usum vivendi quo homines in societate utuntur. Num quis vi huius consuetudinis, i. e. iuris gentium, ideo tenetur aliquid emere aut vendere ? Certissime non. Titius agrum suum vult vendere Caio. *Naturalis iustitia* prohibet quominus ego sine iusta causa hanc eius libertatem commercii, iure gentium innixam, impediam. Itaque consuetudines generales *fundamentum praebent* iuribus quae singulis hominibus in societate viventibus insunt, praeter ea quibus natura eos induit. Et haec omnia ceteri homines

(1) L. c., c. 19, n. 10.

laedere nequeunt propter obligationem *negativam,* sive legis positivae, sive iustitiae naturalis.

Ita etiam obligatio *positiva* potest indirecte fundari in iure gentium, non autem potest ex eo solo proxime et directe oriri. Sic in nostro casu bene intellegitur ex iure gentium oriri posse huiusmodi generalis praesumptio: cum communi usu et existimatione, eleemosynam dare censeatur esse opus bonum, quod ad bonum commune confert, tuto praesumi potest dominum ignotum huius rei iniuste possessae rationabiliter velle ut res sua aut eius valor pauperibus restituatur. Hoc *factum* ex iure gentium ortum habere admittitur. Sed ubinam est, *ex solo iure gentium,* obligatio stricta huic praesumptae voluntati parendi? Hoc quaeritur. Et nobis saltem videtur *certam* obligationem nonnisi *ex lege naturali* repeti posse.

Et hoc est quod veteres auctores, paucis exceptis, docent (1).

Lessius, quamquam ipse contrarium sentit, hanc refert ut fere omnium doctorum sententiam.

Quoniam longum est omnia verbatim adducere, summatim exhibemus praestantiorum quorundam doctrinam, non omissa tamen explicita allegatione locorum ut lector, si placeat, verba magistrorum perpendere valeat.

Molina (*De Iust. et Iure,* III, disp. 746) imprimis obligationem refert ut certam ex communi sententia doctorum. Eius fontem directe non assignat; sed pergit disputare contra Sotum circa obligationem restituendi pauperibus quando agitur de rebus inventis, quae disputatio a re nostra aliena est. Mens auctoris autem etiam de nostra quaestione clare apparet ex dictis.

---

(1) Inter fautores contrariae sententiae eminent Laymann (*De Iustitia,* Tract. 2, c. 9), et Lessius (*De Iustitia et Iure,* lib. 2. c. 14, dub. 6 et 7).

Etenim citat duos locos ex iure Decretalium quae directe agunt de restitutione facienda pro *delictis* (1).

Et de his dicit:

« Capita citata *non condunt novum ius* sed solum explicant quid *natura ipsa rei* habeat, ut intuenti ea iura est manifestum ».

Et rationem dat, quia res non carent domino, licet dominus ignotus sit; et *praesumpta voluntas* domini est.

« Ut pauperibus distribuantur, aut insumantur in alio opere pio in bonum spirituale eius cuius sunt, atque in satisfactionem pro peccatis illius ».

Deinde (l. c., disp. 748) affirmat validitatem compositionis Pontificiae Bulla Cruciata factae circa huiusmodi bona restituenda, propter *praesumptam voluntatem* domini ignoti, a Pontifice tamquam supremo bonorum spiritualium dispensatore declaratam.

Cardinalis De Lugo de hac re agit praesertim disputatione 6, sect. 12, et disp. 21, sect. 7, in opere *De Iustitia et Iure*. Dubium non est eum obligationem ex iure naturae potius quam ex solo iure gentium deducere. Nam ipse, sicut Molina, rationem petit in praesumpta voluntate domini; et scribit (2):

« Unde ex hac praesumpta dominorum voluntate introduci potuit *consuetudo universalis* quam auctores communis sententiae tamquam firmum eius *fundamentum* testantur, expendendi in pauperes et usus pios eiusmodi debita incerta... Quam tamen consuetudinem ego non credo aliter introductam (excepto si sit alicubi lex positiva aliter disponens) nisi ut iuxta circumstantias praesentes fiat id quod magis praesumunt esse iuxta veri domini voluntatem. Quare debitor *iuxta legem naturalem* praestandi aliis quod sibi fieri vellet, debet considerare quid ipse vellet in iis circumstantiis de re illa vel debito, fieri; et hanc debet existimare esse voluntatem domini, et eam exsequi ».

---

(1) C. Cum tu, de usuris, et c. Sicut dignum, eos, de homicid.

(2) Disp. 6, sect. 12, n. 137.

Quod sane mirum in modum confirmat quae supra diximus de huius obligationis fundamento nonnisi *indirecto* in iure gentium (1).

Inquiramus iam in rationem qua naturalis iustitiae obligatio demonstrari possit.

Dicemusne ipsam rem mansisse in dominio eius qui iniuria laesus fuit? Hoc difficile est, tum quia si dominus omnino reperiri nequit, vinculum quo res ipsi vinciebatur solutum est: res ipsi iam servire nequit; tum quia argumentum valeret de re inventa. Etenim, si res cuius dominus prorsus ignotus est huic manet appropriata, de ea secundum praesumptam domini voluntatem disponendum erit ab eo qui eandem fortuito invenit: quod tamen hodie iam non admittitur.

Verum hoc interest inter inventorem rei nuper amissae et furem vel iniustum damnificatorem, quod prior non teneretur nisi ut detentor rei alienae, dum fur et iniustus damnificator personali obligatione tenentur reficiendi iniuriam. Melior autem modus reparandi iniuriam est ut secundum voluntatem praesumptam domini laesi, valor pauperibus tribuatur.

Lessius rationem huiusmodi impugnat (l. c.) supponendo dominum mortuum esse, et quidem in statu peccati, ita ut eleemosynae iuxta ipsius praesumptam voluntatem factae, ei prodesse iam non possint. Huic obiectioni respondet De Lugo, l. c. n. 146, dicendo voluntatem *tempore mortis* esse considerandam. Quidquid sit de hoc, ipse Lessius, quod mirum est, eodem loco obiter adducit adhuc firmiorem rationem pro naturali fonte obligationis, quem tamen non admittit. Nam dicit:

« De incertis ex delicto debitis probatur (obligatio pauperibus tribuendi) ex cap. « Cum tu, de usuris »... quod DD communiter extendunt ad incerta ex aliis delictis debita, ut ex furto,

(1) Vide etiam adhuc magis expressam sententiam Lugonis, l. c. n. 144.

rapina, damno dato, et iniquis contractibus; idque merito, quia eadem vel etiam maior est in his ratio: *ne videlicet hominibus iniquis integrum sit ex iniquitate et iniuriis ditescere* ».

Age iam, haec ratio a LESSIO fautore contrariae sententiae adducta, evasit apud modernos princeps fundamentum obligationis *naturalis iustitiae.*

Audi LEHMKUHL: (l. c.) « Lex naturalis... iustitiam commutativam... reparandam exigit... propter communem possessionum securitatem ».

Et GÉNICOT: (l. c.) « Ius naturale statuit: res male acquisita servari non potest... saltem ne periclitetur securitas rerum in consortio humano ».

Et VERMEERSCH (l. c.) « Natura ratam habere nequit possessionem quam hoc titulo fur servare vellet. Quare ea se spoliare debet ».

Non tantum igitur praesumpta voluntas ignoti domini, sed adhuc potiori ratione bonum ipsius societatis, ob securitatem possessionum postulat ut loco domini ignoti cui ex lege naturali restitutio debetur, pauperes aut opera pia substituantur.

Quid tandem **censeri debet de distinctione** admittenda inter *rem* iniuste *detentam* et *valorem compensativum ex nuda damnificatione* debitum? Quamvis utraque ratio quodammodo etiam ad casum damnificationis extendi possit, minor profecto est vis utriusque rationis sic applicatae. Nam imprimis illa praesumpta voluntas domini valde remota est in casu damnificationis, ubi proprie dicta *compensatio* impossibilis est. Huc accedit quod *magnitudo damni* generatim *minus determinata* est quam *valor rei* mala fide *detentae.* Deinde, quamvis *securitas possessionum* laedi possit etiam per damna quae malefactori nullum fructum afferunt, istae laesiones plerumque ex aliis passionibus committuntur potius quam ex cupiditate, contra quam praecipue remedium illud restitutionis pauperibus faciendae naturali legi statuitur.

Quonam principio explicatur compositio Pontificia quae nunc a S. Poenitentiaria concedi potest? Cum Pontifex rite repraesentet causas pias et pauperes, eorum nomine debitori potest partem debiti remittere. Sic consulitur, quousque id fieri potest, tum praesumptae voluntati domini, tum possessionum securitati, tum faciliori reconciliationi peccatorum quibus onus restitutionis incumbit.

Hoc ius Ecclesiae admittendi compositionem de rebus quarum dominus ignotus est nullam creat difficultatem in regione catholica, in qua populus Ecclesiam agnoscit ut pauperes repraesentantem. Quid autem si persona laesa sit incredula vel pagana; quid si omnia acciderint in regione prorsus ethnica? Quaestionem istam postea rimandam reservamus.

Iuvat summatim conclusiones recolere:

1. Restitutio pauperibus facienda pro domino ignoto, *ipsa lege naturali* praescribitur.

2. Obligatio haec duabus rationibus nititur, sc. *praesumpta voluntate* domini, et *bono communi* societatis.

3. Rationabile videtur quod quidam auctores suadent, ut minus urgeatur obligatio ex *damnificatione* orta, quam ex re iniuste *possessa.*

4. Compositio S. Sedis aequiparatur partiali condonationi factae *nomine pauperum* vel causarum piarum, quas ipse Pontifex iure repraesentat.

T. L. Bouscaren, S. I.

De conscribendis Constitutionibus Congregationis votorum simplicium vel de iisdem ad Codicem aptandis.

I. Opportunitas argumenti

Cum, a pluribus annis cooptati in Commissionem pro approbatione novorum Institutorum, eorum Constitutionibus examinandis frequenter operam daremus, deprehendimus non paucos errores, qui satis facile vitari potuissent, si quaedam normae, satis stabiles, ad quas istae novae leges accommodandae sunt melius notae fuissent.

Errores tamen istos *damnosos* existimare possumus. Propter istos enim, labor Commissionis multum ultra tempus per se necessarium protrahendus est. Hoc non est sine incommodo pro ipso Instituto cuius examinantur Constitutiones: ubi enim multa emendanda sunt, facile non nulla omittuntur, ita ut Constitutiones evadant minus perfectae. Fit etiam ut nimis indigestae remittantur pro nova redactione ad ipsum Institutum, quod sic loco suo deicitur ac denuo, in alia serie, fortasse ultra unum vel duos annos, suam vicem exspectandam habebit. Nec incommodum proprium est unius Instituti sed fit plurium commune. Ideo enim diuturnior mora pluribus Institutis imponitur, quae sic diutius vivere coguntur sine approbatis legibus, ac proin in minus certa condicione personarum et rerum.

Causa autem vitiosae conscriptionis, praeter imperitiam vel neglegentiam scribentis, non adeo raro etiam est defectus libri manualis quo quis fidere tuto possit. Nec pauci decipiuntur operibus quae, suo tempore optima, non possunt iam, mutato iure, esse pru-

dentes consiliarii. Et periculum quoddam est ne liber, etiam egregius, scriptus ante Codicem, non ita sit recognitus ut omnia antiquata sint suppressa vel correcta.

Ita. v. g. eximium et utilissimum opus D. BATTANDIER *(Guide canonique pour les Constitutions à voeux simples)* etsi nuper, i. e. anno 1923, sit denuo editus, post mortem auctoris, in ipsa fronte, praeter Codicem, appellat ut fontem, normas *S. C. Episcoporum et Regularium,* quae obsoletae sunt (suivant les récentes dispositions [Normae] de la S. C. des Évêques et Réguliers et le nouveau droit canon); et in textu, ubi agit de confessione Sororum, confirmatam existimat Codice sanctionem anterioris decreti, quo solum extra domum accessus accidentalis ad sacerdotem non approbatum pro ipsis permittebatur.

Itaque operae pretium duximus non nulla principalia in his Periodicis indicare quae ad faciliorem confectionem vel emendationem Constitutionum utilia esse possint.

Post generales quasdam observationes, de variis partibus Constitutionum ordine agemus.

II. Generales observationes.

I. *Quod ad genus dicendi.* Normae a *S. C. Episcoporum et Regularium* anno 1901 propositae praescribebant novis Institutis formam Constitutionum quam aridam appellare licet, quia, exclusa omni hortatione et consideratione ascetica, solas admittebat definitiones iuridicas et paucas morales (de obligatione votorum et Constitutionum). Inde brevitati et perspicuitati consultum erat, sed aberat suavitas et stimulus devotionis. Pro libro piae lectionis, religiosi et religiosae obtinebant parvum Codicem canonicum ad eorum usum.

Hodie autem, ab hac severitate recessum est. Iam licet praescriptis addere consilia, ipsaque praescripta condire asceticis rationibus et, quod in primis gratum est, auctoritate et verbis fundatoris vel fundatricis.

Simplex tamen manere debet sermo, et expositio prolixa esse non permittitur.

Itaque, nuper, Congregatio quae definitivam postulabat approbationem suarum Constitutionum, decepta est falso consilio, cum putavit necesse esse ut a libro suo expungeret plura valde pie et belle meditanda. Recepit quidem optatam statutorum approbationem, sed, pro unctis, Constitutiones erant exsiccatae.

II. *Quod ad extensionem,* non placet nimia copia articulorum. Congregationi religiosae circa 300 articulos sufficere plerumque videntur.

III. *Quod ad contenta,* cum Constitutionibus sicut fundamento Institutum nitatur, curandum est ut sola fundamentalia et principalia in eas inserantur, non autem quae nimis minuta vel secundaria sint. Haec reserventur *Directorio* vel *Consuetudinario.*

Ne ponatur igitur in Constitutionibus ordo diurnus, cuius locus erit in Consuetudinario; sed mere dicatur somno nocturno tot horas plus minusve concedi. Pro ferculis quae apponenda sunt dicatur: mensa sit ut pauperibus accommodata.

Ac meminerimus nihil quod a S. Sede approbatum sit, ipsa inconsulta mutari posse. Absonum autem foret ut mutatio horae prandii dispensationem S. Sedis exigeret.

Expedit hic notare quid intersit inter librum Constitutionum et alios libros quos Congregationes religiosae pontificii iuris iussae sunt S. Sedi exhibere. Constitutiones positive approbantur; sunt publicae litterae S. Sedis, dum ceteri libri mere examinantur si forte quidpiam ibi deprehendatur auferendum, ita ut restitutio istorum librorum facta Instituto mere significet nihil videri obstare.

IV. *Quod ad rationes praescriptionum,* statuta ne confirmentur auctoritate Sacrarum Litterarum vel Ss. Patrum vel aliis testimoniis commendaticiis. Allegationes enim huiusmodi non raro continent interpretationem

non genuinam, quam S. Sedes non vult suo assensu comprobare.

Non dissimili ratione non admittuntur, ut partes praeambulae Constitutionum, notitiae (historicae ?) de origine et fatis et missione Instituti; sed si eodem volumine comprehenduntur, oportet ut bene distinctae demonstrentur a parte quae a S. Sede est approbata.

V. *Quod ad usum Codicis,* praeterquam quod Constitutiones, salvo Pontificio privilegio, in nulla re a Codice dissentire possunt, plures canones sunt quos Commissio vult ex integro in Costitutiones relatos.

Sunt autem: *a)* c. 542 de impedimentis ingressus tam impedientibus quam dirimentibus, si ea demas quae in pluribus Institutis omnino sunt extra usum: ita quae ordinationem impediunt, in Institutis laicis;

b) In Institutis Sororum, canones de confessione Sororum;

c) Canon prohibens ne Superiores personas sibi subditas quoquo modo inducant ad conscientiae manifestationem sibi faciendam. In solis autem institutis clericalibus admittitur ut exscribatur § 2 istius canonis 530. Priora tantum verba istius § omnibus constitutionibus adiungi possunt.

Praeterea, si res non sit bene exposita, saepe etiam aliorum canonum textus iubebitur inseri: v. g. de dimissione religiosi votorum temporariorum vel perpetuorum; de restitutione dotis vel de subsidio caritativo supplendo Sorori egredienti.

Verum hic probe notandum arbitramur, expedire ut perspicue, in Constitutionibus, distinguantur haec quae inseruntur mere quia ius commune id requirit, et haec quae votis ipsius Instituti consentanea sunt: sive sint secundum, sive sint praeter Codicem seu ius commune.

In Constitutionibus quae examini Commissionis

subiciuntur, non est infrequens ut quaedam sint statuta secundum Normas (nunc abrogatas) anni 1901.

Tunc autem dubitatur de animo seu voluntate Instituti, quod haec decernere potuit sive quia se existimabat Normis coactum, sive quia erant in se Instituto accepta. Deficiente autem alia indicatione, a Commissione non corriguntur quae legi vigenti non adversantur, quamvis possint esse aliena ab optatis Instituti.

Ad distinctionem istam faciendam sufficere videtur, ut haec vel similis formula adhibeatur: Ad tramites iuris communis, etc.

VI. *Quod ad finem Instituti,* observes ea quae fini communi vel proprio ascribuntur ab Instituto fieri *per se.*

Verum adiuncta possunt suadere, vel etiam necessarium facere ut quaedam, assentiente Episcopo, transitorie vel per accidens assumantur. Non ideo haec sunt fini Instituti adiungenda. Immo non desunt opera quae S. Sedes fine Instituti excludit, quae tamen tolerabit, si prudenter, assentiente Antistite, per accidens propter specialia adiuncta assumantur vel exerceantur.

Ne igitur putemus simpliciter esse prohibita quae delentur ut pertinentia ad finem Instituti.

VII. *Quod ad divisionem Instituti,* quam diu Congregatio provinciis caruerit, Commissio non admittit ut regimen provinciarum sic in antecessum describatur. Tunc igitur de provinciis tacendum est.

VIII. *Quod ad ordinatam rerum dispositionem,* curandum est ut omnia opportuno loco ponantur, ut facile omnia detegantur, nec plura superflue repetenda sint.

Quocirca etiam statutum est ut, nullatenus suppressa divisione in titulos et capita, suus cuique articulo numerus assignetur, ita ut una continua numerorum serie Constitutiones exhibeantur. Quod facilitati

allegationum non parum inservit. Non iam opus tunc est designare Partem, titulum, caput: sola indicatio numeri nos de loco plene docet.

Res sunt quae per se bifariam collocari possunt. V. g. amicitiae particulares tam ipsi caritati generali quam castitati periculum creare possunt. Suspiciones autem mali gravis non sunt fovendae inter religiosos.

Satius igitur erit amicitias istas improbari ubi de caritate fiat sermo.

IX. *Varia omittenda.* I. Non iam in appendice ponenda sunt decreta *Quemadmodum* vel *Sacra Tridentina,* quibus Codex obrogavit.

2. Constitutiones lectorem remittere non possunt ad Consuetudinarium, Directorium vel libros huiusmodi, cum hi nullam positivam approbationem S. Sedis consequantur.

3. Iura et officia Ordinariorum et Confessariorum non sunt qua talia memoranda in Constitutionibus, utpote quae scriptae sint pro religiosis.

Ne dicatur igitur Episcopum teneri examine faciendo postulantis et noviciae, sed Superiorissae officium memoretur certiorem faciendi Episcopum de futura admissione in noviciatum vel ad vota. Nec referatur c. 524 § 3, quo prohibentur confessarii se interno vel externo communitatis regimini immiscere.

Opportune tamen mentio fiet de non nullis iuribus Episcopi, v. g. consentiendi in fructuosam dotis collocationem.

X. Quamvis haec non examinetur, fas tamen est *antiquam regulam* cuiuspiam S. Patriarchae Constitutionibus praeponere.

(*Continuabitur*)

A. VERMEERSCH, S. I.

De potestate Superioris alumnorum.

Species facti. Raphael, sacerdos regularis, per sex annos praefuit ut Superior localis parvo collegio in quo aliqui eiusdem Ordinis religiosi laicos alumnos internos (i. e. qui diu noctuque domi degunt) litteras humaniores docent. Post sexennium, alius Pater nominatus est Superior religiosorum ; Raphael autem remansit Superior alumnorum laicorum : eius est eos admittere vel dimittere, omnia statuere circa eorum disciplinam, studia, ordinem diei et expensas normales. Certo nunc Raphael nulla potestate gaudet erga alios religiosos ; quaerit vero qualis sit eius potestas in alumnos laicos ?

Principium. Resp. In hos alumnos fruitur potestate *dominativa,* seu, ut quidam libentius dicunt, potestate quasi domestica, ea nempe quam paterfamilias in filios exercet.

Corollarium pro confessionibus. Cum hoc satis sit ut sit alumnorum verus Superior, Raphael non potest alumnorum, sed potest aliorum religiosorum confessiones habitualiter audire (c. 891). Contra, videtur nunc Superior religiosorum posse esse unus e confessariis ordinariis alumnorum quorum cura non ei commissa est, etsi materialiter in sua domo vivunt. (Eodem modo, nemo impediret ne Superior religiosorum infirmariorum audiret confessiones infirmorum domi curatorum.) Attamen, si (quod aliunde verum esse cognoscimus) Raphael obtinuit sive a suo Superiore regulari (ad normam can. 875 § 1) sive ab Ordinario loci (iuxta can. 874) iurisdictionem delegatam ad audiendas confessiones, per se semper valide (cum c. 891 nullam invaliditatem statuat) eam exercet in alumnos, quamvis non semper licite.

An Raphael insuper gaudet quadam *iurisdictione fori externi?* Hoc negandum videtur. Si c. 501 § 1

dicit «... in religione autem clericali exempta, habent (Superiores) iurisdictionem ecclesiasticam tam pro foro externo, quam pro interno », ex toto contextu manifestum est agi unice de Superioribus religiosorum, de eis scilicet qui habent subditos religiosos (etsi possunt insuper habere subditos laicos et in eos extendere suam iurisdictionem vi c. 514 § 1; 875 § 1; 1245 § 3; 1313, 2⁰...).

Ergo non potest, v. g., Raphael dispensare alumnos a celebratione festorum, a ieiunio vel abstinentia, aut a votis privatis, nec conferre sacerdoti transeunti iurisdictionem ad audiendas alumnorum confessiones.

Attamen, cum potestas Superioris regularium circa haec sit ordinaria (ex c. 197 § 1, i. e. « ipso iure adnexa officio ») et potestas ordinaria possit « ex toto vel ex parte delegari, nisi aliud expresse iure caveatur » (c. 199 § 1), cum in Codice de his rebus nihil aliud caveatur, poterit Superior regularis (nisi forsitan hoc Constitutionibus Ordinis prohibeatur) facultates suas erga alumnos laicos Raphaeli etiam habitualiter delegare.

E. J. S. J.

II. **Quaestio de clausura materiali regularium.**

Species facti. Domui nostrae clericorum regularium sunt duo horti ita dispositi ut nostris liber accessus a domo in priorem hortum, a priore deinde in alterum pateat. Cum prior hortus muris, alter autem sola sepe claudatur, opinantur quidam clausuram papalem in priore solum vigere (ad normam c. 597 et 598), in altero ingressum feminarum lege ecclesiastica non prohiberi.

Solutio. Quod spatium (quae partes domus, qui horti...) in clausura includendum sit, indicat can. 597 § 2, qui doctrinam anteriorem fere nihil mutat.

Qua re debeat circumcingi hoc spatium, *Codex nullo modo determinat.* Nulla decisio Ecclesiae circa hoc umquam data esse videtur et vix ullus alterve scriptor suspicatus est quaestionem poni posse.

Ex *natura rerum,* ex *indiciis* quibusdam sensus ecclesiastici, ex *etymologia,* ex *analogia* desumpta e iure civili solutionem quaeramus.

1. Clausura *mere idealis* non sufficeret, seu non satis esset lineam albam creta delineare in terra, aut etiam sulcum aratro fodere, ut narrant de Romulo Romam condente et fratrem Remum, clausurae violatorem, propria manu interficiente. Debet certo adesse clausura vere materialis, obstaculum corporeum; secus spatium non dicitur clausum.

Spatium subiectum legi clausurae, ait WERNZ (1), est « ita clausum (septa monasterii), ut seclusa vi vel fraude nemo illuc accedere vel illinc exire possit, nisi per ianuas habitualiter clausas et a regularibus ipsis caute custoditas ».

2. Ad hoc non requiritur murus, sed sufficit quilibet obex materialis, ergo etiam sepes. Occasione clausurae, auctores saepe loquuntur de muro, non tamen quasi murus proprie dictus omnino exigeretur. Frequenter etiam vox « murus » aliis sociatur. Sic scribebat REIFFENSTUEL (2): « Clausura monasterii est totum illud spatium, quod ambitur et clauditur muris, parietibus seu septis monasterii... »

Saepissime vox « *septa* » adhibebatur ad designandam materialem clausuram. Ipsum Tridentinum haec habet (3). « Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat.. » Et BENEDICTUS XIV (4) vetabat ingressum

---

(1) *Ius Decretalium*, III, n. 658, II.
(2) *Ius canonicum*, L. III, tit. XXXV, n. 26.
(3) Sess. XXV, *De regularibus et monialibus*, cap. V.
(4) Const. *Regularis disciplinae*, 13 jun. 1742. Apud *Fontes Codicis*, t. IV, n. 323, p. 711.

feminarum, sub praetextu processionum, « per claustra, septa et alia monasteriorum loca... »

3. Etsi voce « septa », a plurimis scriptoribus adhibita, Codex non utitur, forsitan quia haec vox omni obscuritate non carebat, iudicandum est, ad normam can. 6, n. 2, 3, 4, ipsam doctrinam mutatam non esse et, ut antea, « septa » et « clausuram » adhibere licere ut practice synonyma. Vox autem « septum » desumpta est a participio verbi « sepire », cuius primus sensus, glossariis datus (v. g. LEBAIGUE, QUICHERAT, etc.), est « sepe circumdare ». Quomodo sepes sufficiens septum non sit?

Quapropter nequit admitti, saltem hodie (cum lex clausurae in Ecclesia, aliter ac plures aliae leges, paulatim severior facta sit) quod legitur apud DURAND DE MAILLANE (1), qui ceterum abusus in Gallia exsistentes ob gallicanismum suum nimis facile approbabat: « Quand il y a des jardins contigus aux monastères d' hommes, qu' un jardinier avec sa famille cultive, les femmes n' en sont pas exclues; ce qui a fait dire à Wicelio in Floscul, qu' il doit en être de même dans les jardins extérieurs des convents de filles quand ils ne sont pas entourés de murs, mais seulement d' une haie vive. »

4. Ut sepes est septum, quidquid spatium claudit vocatur clausura, ex usu qui consonat cum lingua iuris civilis. Quamvis v. gr. Codex civilis gallicus aliquando iubeat veros muros aedificari (art. 663) et tunc non sufficiant « de simples clôtures en haies ou en palissades » (2), tamen « toute clôture qui sépare des héritages est réputée mitoyenne » et sub hoc nomine « clôture » comprehenduntur « murs, fossés et haies, palissades, treillages... » (3).

---

(1) *Dictionnaire de droit canonique*, 1770, au mot *clôture*, p. 549.
(2) AUBRY ET RAU, *Droit civil français*, t. 2, p. 235.
(3) BAUDRY-LACANTINERIE, *Droit civil français*, I, n. 1746 sqq.

Si qua in sepe apertura facta esset, etiam per quam homo transire posset, non tamen magis suspenderetur lex clausurae quam tunc liceret in talem hortum, invito domino, intrare. Valent de sepe quae de muro dicuntur, v. g. ab. ANDRÉ (1) « ce serait une erreur de croire que la brèche d'une muraille peut donner légitimement lieu à la rupture de la clôture... Cependant... les religieuses doivent fermer au plus tôt ces ouvertures avec des planches, en attendent qu'on les rétablisse en maçonnerie ».

5. Concludere liceat usurpando verba R. P. VERMEERSCH (2). « Aucem texte ne détermine la matière dont la clôture matérielle doit être formée. Une palissade peut donc suffire, et même une haie épaisse, pourvu... que la rue soit suffisamment interceptee... ».

Hoc ultimum praecipitur pro monialibus (c. 602), de quibus in hoc opusculo agitur; nullibi idem exigitur pro viris. Etiam apud moniales, si huic obligationi non fecissent satis, tamen sepes, quae visum non impediret sed obstaculum materiale ingressui esset, deberet dici vera clausura, prohibens sub poena excommunicationis tum ingressum tum egressum.

6. Igitur, ut positae quaestioni respondeamus, per se hic alter hortus, sepe circumdatus, est vere in clausura. Attamen, cum generatim liceat Superiori maiori « clausurae fines accurate praescribere aut legitimis de causis mutare » (c. 597 § 3), poterit Provincialis, sive modo habituali sive aliquibus diebus, hunc hortum extra clausuram ponere, eum a priore separando muro (aut sepe aut re huiuscemodi) et porta ordinarie clausa qua, diebus aut horis a Superiore permissis, religiosis accessus patebit, dum feminae admissae (sive omnes ad assistendum processioni aut faciendam piam pere-

(1) *Dictionnaire de droit canonique*, 1888, I, p. 431.
(2) *Petit catéchisme des voeux solennels*, 1924, p. 35, n. 3.

grinationem ad horti statuas, sive quaedam v. g. cognatae religiosorum aut benefactrices, etc.) alia porta intrabunt quin loca clausurae subiecta pertranseant.

E. JOMBART, S. I.

Quaesita varia

I. **Factum.** Ad Leandrum parochum allatus est, bene pannis involutus, baptizandus infans. Cum, pro officio, a parentibus quaesivisset quo nomine vocari deberet, declararunt infantem ab archangelo Gabriele appellandum esse. Inde parochus existimavit infantem esse masculini sexus, et hoc genere usus est, ubi occurreret, per omnem caerimoniam. Domum reversus accepit ab ancilla sua infantem esse feminei sexus.

Dubitatio. Inde coepit Leander anxius esse de valore baptismi a se collati. « Namque, sic secum ratiocinatur, inter filium et filiam est discrimen plus quam accidentale. Ego autem volui baptizare puerum, non ergo puellam ».

Resp. Nulla causa est cur Leander sua anxietate diutius teneatur. Perperam suam intentionem interpretatur dum putavit baptismum puellulae, propter suum errorem de sexu, alienum fuisse a sua intentione. Voluit baptizare subiectum ipsi oblatum, quod, errore mere speculativo, putavit esse filiolum. Ut aliis utar verbis, non baptizavit Gabrielem qua masculum vel feminam, sed qua hominem nondum baptizatum. Sive autem fuerit mas sive femina, isti condicioni infans perfecte satisfaciebat.

II. **Factum.** Pia mulier obstetrix, cum in periculo mortis infantem vagientem baptizare debet, hoc modo procedere solet. Primo valde pie se signat signo crucis,

pronuntiando verba. « In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Dein subiungit: « Ego te baptizo » et aquam infundit in caput infantis.

Quaesitum. *Estne baptismus iste certo validus an certo invalidus?*

Resp. Baptismo isti, cum sermo sit de solo valore, obici nequit inversio ordinis verborum, qua invocatio SS. Trinitatis praecessit verba « Ego te baptizo », dum in formula praecepta eadem sequi debet. Inversio enim ista significationem formulae intactam esse sinit.

Neque valori obstat quod ablutio essentialis secuta sit pronuntiationem verborum. Nam cum nullum interpositum fuerit intervallum, de sufficiente unione materiae et formae dubitari nequit.

Verum, haec alia difficultas maiore consideratione digna est. Essentiatis formula continet invocationem expressam SS. Trinitatis supra baptizandum. Ad quemnam autem baptizans in casu refert istam invocationem, ad se vel ad infantem?

Si *ad se,* tunc verba pronuntiantur ut extra formam, quae proin corrumpitur. I. e. obstetrix se signavit signo crucis sicut ante aliam actionem gravem se signo isto munire solebat.

Si referebat invocationem ad infantem, recta quidem fuit eius intentio. Sed intentio ista speciem externam non mutat, quae est potius christiani se praeparantis per signum crucis ad agendum.

Iam vero sacramentum est signum sensibile. Oportet igitur ut non sola intentio sed etiam externa actio genuinam significationem habeat.

Conclusio. Censemus igitur baptismos sic factos seriae dubitationi locum dare, ita ut sub condicione iterandi sint.

III. Athanasius Episcopus vicario foraneo districtus qui satis longe abest a civitate sua episcopali, ita ut cathedralis ecclesia vicinae dioecesis facilius adeatur,

permisit ut pro ipsius districtu olea sacra peteret a vicino Episcopo.

Unus autem e parochis istius districtus olea ista recipere noluit, cum olea a proprio Episcopo tradenda sint. « Immo, subiunxit, nec certo validus mihi esse videtur usus istorum oleorum. Quare sabbato sancto conficiam aquam baptismalem cum oleis veteribus, iisdemque ungam aegrotos periculose decumbentes ».

Quid de sententia parochi pronuntiandum est?

Resp. In primis vehementer decipitur parochus, cum dubium movet de valido usu oleorum quos alienus Episcopus sacraverit. Cum enim Episcopus sit proprius minister consecrationum, eius potestas consecrandi minime inter fines suae dioecesis continetur; atque omnino ab omni iure alienum foret contendere olea rite benedicta sua benedictione in alia dioecesi privari.

Praeterea nonne Praefecti Apostolici, Abbates *nullius* olea sacra ab alieno Episcopo quaerere iubentur?

Immo, 27 sept. 1864, cum Episcopus Nivernensis petiisset a *S. Rituum Congregatione* facultatem benedicendi extra Tempus olea quorum quantitas sufficiens desiderabatur, S. Congregatio facultatem negavit, suadens ut « Episcopus a vicinioribus petat Olea sacra » *(Decr. auth.*, n. 3125).

Quod ad liceitatem, profecto, secundum Rit. t. V, n. 4, parochus oleum sacrum a suo Ordinario petere debet. Quare qui sine facultate proprii Ordinarii alio oleum sumat, ius sui Ordinarii violaverit.

Verum hic etiam valet principium: consentienti non fit iniuria. Nec licentia facta a proprio Episcopo in aliquam reprehensionem incurrit, quando, ut in casu supposito, iusta causa est exceptionis.

Parochus igitur nec detrectare olea apud alienum Episcopum quaesita poterat, nec vetera in aquam baptismalem infundere ipsi licebat.

A. V. S. I.

Casus de Sacramentis

De baptismi subiecto, ritu et patrinis.

I. — In nosocomio militari, quo afferuntur non pauci milites infideles, praesertim musulmani, cappellanus, quos viventes prudenter alloqui non poterat dum erant sensibus praesentes, solebat condicionate in periculo mortis baptizare, quando erant sensibus destituti. Condicionem apponebat: si capax es. — Sed en, fortuito legit lucubrationem de baptismo infidelium in quadam valde diffusa ephemeride. Porro, in ista dissertatione scriptor dicebat: « Etiam si agatur de viro bono, pio in suo islamismo, si nullo signo exteriore voluntatem baptismi manifestavit, non potest baptizari. Nulla enim probabilitas habetur cuiuspiam voluntatis implicitae vel saltem praesumptae rationabiliter, qua cuperet baptismum ».

Atque subiungebat, hanc esse doctrinam communem, perspicue confirmatam non una responsione S. Officii. — His assertis perterritus, cappellanus iam non audebat ullum ex istis militibus infidelibus et sensibus destitutis baptizare, nisi prius aliquam propensionem erga religionem catholicam significassent.

Verum in eodem nosocomio erat clericus quidam, qui, carens auctoritate ut cappellanum ad suam sententiam perduceret, ipse clam omnes istos sensibus destitutos infideles sub condicione baptizavit. Quaeritur quid de cappellano, quid de ephemeride, quid de clerico sentiendum sit.

II. — In pago quodam regionis meridionalis, parochus iussit ut in posterum aedituus ex urceolo effunderet aquam, quae per interpositam manum sacerdotis diffluerent in infantem baptizandum. Post plures

annos, vicarius foraneus, in visitatione, parochum vehementer obiurgavit, quod baptismata dubia ministrasset; iussitque ut ab ipso baptizati iterum condicionate abluerentur.

An recte parochus, an recte vicarius foraneus egerint, quaeritur.

III. — Cum natus esset infans, deliberatum est cum parocho de patrino baptismi. Parochus existimavit nullum meliorem seligi posse quam avunculum qui tunc in longinqua regione degebat. Absenti et non monito avunculo, parochus etiam assignavit procuratorem. Familia nihil protestata est. In patriam redux, avunculus certior fit se esse patrinum cuiuspiam Aloysii. Ipse autem interrogavit parochum: Non repugno quidem; sed quomodo possum nescius fieri patrinus? — Cui parochus: tuum consensum praesumpsimus. — Quid de casu dicendum est?

(Responsum dabitur in proximo fasciculo)

PARS ALTERA

MONUMENTA

1. — SS. D. N. Pii Pp. XI

CHIROGRAPHUS (1) 24 IAN. 1927

DE ORDINATIONIBUS CIRCA « OPERA NAZIONALE BALILLA »

(A. A. S., 1 feb. 1927, XIX, 41)

E.mo Signor Cardinale,

Litterae publicae de quibus agit S. Pontifex.

Abbiamo (2) sotto gli occhi ed abbiamo attentamente letto e meditato il testo della legge 3 Aprile 1926, n. 2247, per la « Istituzione dell'Opera nazionale Balilla per la assistenza e l'educazione fisica e morale della gioventù »; il testo del R. Decreto-Legge 9 Gennaio 1927, n. 5 per « Modificazioni alla legge predetta » (*Gazzetta Ufficiale* del Regno d'Italia, Parte prima, anno 68, numero 7, pp. 86-88); il testo del Regio Decreto 9 Gennaio 1927, n. 6, per la « Approvazione dei regolamenti amministrativo e tecnico-disciplinare per l'esecuzione della legge 3 Aprile 1926, n. 2247, sull'Opera nazionale Balilla » (*Gazzetta Ufficiale*, ecc., numero 8, pp. 104-118).

Acceptam habet intentionem, inefficacem

Altro testo ufficiale od anche solo autorizzato non essendo a Nostra disposizione, ai suddetti dobbiamo necessariamente

(1) Ad Em. Card. GASPARRI a Secretis Status.

(2) d. e. latine. Sub oculis habemus atque attente legimus et meditati sumus verba legis 3 april. 1926, n. 2247 de « Instituendo opere nationali Balilla pro patrocinio et educatione physica et morali iuventutis »; verba R. Decreti-Legis 9 ian. 1927, n. 5, de « Mutationibus praefatae legis » (*Gazzetta Ufficiale* del Regno d'Italia, Parte Prima, anno 68, n. 7, pp. 86-88); verba Regii Decreti 9 ian. 1927, n. 6, de « Approbatione ordinationis administrativae et technico-disciplinaris pro exsecutione legis 3 april. 1926, n. 2247, de Opere nationali Balilla » (*Gazzetta Ufficiale* etc. n. 8 pp. 104-118).

Cum nullum aliud documentum officiale vel saltem approbatum Nobis

tamen, non laedendi Ecclesiam.

limitare le considerazioni e dichiarazioni che il grave argomento da Noi esige. E, innanzi tutto, che nel redigere e promulgare gli ordinamenti compresi nei testi accennati l'intenzione sia stata di non ledere le divine prerogative della Santa Chiesa ed i diritti spirituali di un popolo cattolico come l'Italiano, Noi (Ci preme di dichiararlo), e volentieri ammettiamo ed altamente apprezziamo. Ma dobbiamo subito dire che l'intento non è stato ottenuto e che i testi medesimi, così come giacciono, purtroppo giustificano quelle preoccupazioni e quei timori che esprimevamo già nell'ultima Allocuzione Concistoriale del 20 p. p. Dicembre. Vogliamo anche subito soggiungere che, ciò dicendo, non intendiamo punto creare difficoltà al governo del Paese o indebolirne il prestigio e la forza, ma intendiamo innanzi tutto liberare le Nostre gravissime responsabilità davanti a Dio ed agli uomini, e crediamo anche di cooperare, se bene intesi e secondati, al comune vantaggio di tutti.

Quod nullo hostili animo sed ad liberandam conscientiam observat.

Ordinationes requirunt assensum S. Sedis.

Abbiamo detto « liberare le Nostre responsabilità » ; perchè è evidente che il Nostro silenzio potrebbe troppo facilmente lasciare e far credere che non senza concorso e cooperazione Nostra siasi addivenuti ad ordinamenti legislativi, nei quali è prevista e predisposta (Legge 3 Aprile 1926, art. 5 ; Regol. tecn. discipl., Cap. VIII, art. 36-40) una organica assistenza religiosa pel ministero di appositi sacerdoti facenti capo ad un superiore (Ispettore) centrale ; assistenza e superiorità che, travalicando i confini delle singole diocesi, non possono avere

---

praesto sit, his praefatis solis circumscribere necessario debemus considerationes et declarationes quas grave argumentum a nobis exigit. Et, primum omnium, quod in conficiendis et promulgandis ordinationibus quae in memoratis pubblicis litteris continentur, intentio fuerit non laedendi divinas praerogativas Sanctae Ecclesiae et iura spiritualia populi catholici qualis Itali, id Nos (et declarare antiquissimum nobis est) et libenter concedimus, et magnopere aestimamus. Verum statim fateri debemus intentum non esse obtentum, et ipsis verbis qualia prostant. nimis confirmari istas sollicitudines et istos timores quae iam reddebamus in ultima allocutione Consistoriali 20 proxime elapsi mensis decembris. Volumus etiam statim subiungere Nobis, dum haec dicimus, minime in animo esse ut gubernio regionis negotium facessamus vel eius auctoritatem et vim imminuamus, sed in primis excutere cogitamus gravissima Nostra onera moralia coram Deo et hominibus, atque arbitramur etiam, si bene intellecti et adiuti fuerimus, communi omnium utilitati cooperari.

« Excutere Nostra onera moralia » debimus, quia silendo nimis facile permitteremus et confirmaremus opinionem, non sine participatione et cooperatione Nostra perventum esse ad ordinationes legales in quibus praevisa et praedisposita est (lex 3 apr. 1926 art. 5; Ordinatio technica discipl. cap. VIII, art. 36-40) organicum patrocinium religiosum ope designatorum sacerdotum sub superiore (Inspectore) centrali; patrocinium et auctoritas quae, excedendo

la necessaria autorizzazione ed il legittimo mandato, se non da questa Santa Sede Apostolica.

Eas Pontifex timet nixas falso conceptu Status; et locum dant suspicandi usurpationes, et impedimenta actionis catholicae.

Or si tratta di ordinamenti legislativi nei quali si prescrive (Regol. tecn. discipl., cap. VI, art. 31) l'insegnamento di una dottrina, che abbiamo motivi di temere fondata o culminante in una concezione dello Stato che, per debito della vigilanza Apostolica, già in due Allocuzioni Concistoriali (14 Dic. 1925; 20 Dic. 1926) abbiamo dovuto segnalare come non conforme alla concezione cattolica; si tratta di quegli stessi ordinamenti che da una parte sembrano estendere prescrizioni e divieti a tutte le opere di educazione anche morale e spirituale, campo questo che rientra, se mai altro, nei divini mandati della Chiesa Cattolica (L. 3 Apr. 1926, art. 8; R. D. L. 9 Genn. 1927, art. 2); dall'altra, grazie ad incerta designazione, non sembrano a molti escludere ogni dubbio e preoccupazione sul trattamento riservato alle stesse organizzazioni di Azione Cattolica (R. D. L. 9 Genn. 1927, art. 2) e colpiscono poi in pieno quella dei Giovani Esploratori Cattolici Italiani, assoggettando a scioglimento oltre metà de' suoi mille e più reparti (cit. R. D. L., art. 3), non permettendo agli altri reparti di mantenersi se non adottando una nuova sigla, e con essa, com'è inevitabile, una nuova denominazione e personalità giuridica (ibid., art. 4). È troppo chiaro ed evidente che Noi non potevamo permettere che i Cattolici in genere, ma specialmente i Cattolici d'Italia, e più specialmente ancora i Nostri cari e prediletti giovani, e nominatamente i Giovani

Quare se penitus earum expertem fuisse declarat.

---

singulas dioeceses, non possunt nisi ab hac S. Sede Apostolica, necessariam licentiam et legitimam missionem consequi.

Iam vero agitur de ordinationibus legalibus quae iubent (Regol. tecn. discipl. cap. VI, art. 31) ut doceatur doctrina de qua, non sine causa, timemus ne fundamentum aut fastigium habeat conceptionem Status quam pro officio vigilantiae Apostolicae, iam in binis allocutionibus Consistorialibus (14 dec. 1925, 20 dec. 1926) notare debuimus ut alienam a doctrina catholica; agitur de iisdem istis ordinationibus quae praescripta et vetita extendere videntur ad omnia opera institutionis etiam Moralis et religiosae: quae provincia, si umquam alia, divina mandata Ecclesiae catholicae penetrat (L. 3 apr. 1926, art. 8; R. D. L. 9 ian. 1927, art. 2), et quae rursus, propter incertam descriptionem, multis non videntur excludere omnem dubitationem et sollicitudinem de sorte praeparata ipsis organis Actionis catholicae (R. D. L. 9 Genn. 1927, art. 3) et dein recta feriunt institutum iuniorum Exploratorum Catholicorum Italorum, imperando dissolutionem plus quam mediae partis mille et ultra sectionum (cit. R. D. L. art. 3) quibus componitur, nec permittendo aliis ut permaneant nisi admittendo novum emblema et simul, ut vitari nequit, novam appellationem et personalitatem iuridicam (ibid. art. 4). Nimis clarum et manifestum erat, a Nobis permitti non posse ut Catholici in universum sed praecipue Catholici Italiae, et magis peculiari ratione, Nostri cari et praedilecti iuvenes, et nominatim iuve-

Esploratori Cattolici Italiani avessero anche solo un'apparenza di ragione o un pretesto qualsiasi di crederCi o anche solo pensarCi corresponsabili di così fatti ordinamenti; e per questo appunto abbiamo ritenuto e riteniamo preciso dovere del ministero Apostolico divinamente affidatoCi, di uscire dal silenzio e di espressamente declinare tale corresponsabilità.

Ipse, non sine animi dolore, solvit catholica Exploratorum agmina ubi lege subsistere prohibentur.

E per esaurire, quant'è da Noi, questo tema dei Giovani Esploratori Cattolici Italiani, abbiamo prima rivolta la Nostra attenzione ai reparti soggetti a scioglimento (e sono quelli dei luoghi di meno che 20.000 abitanti) ed abbiamo considerato che anch'essi i cari giovani, come già il santo re Davide (2 *Reg.*, 24, 14) dicano al Signore: « Se dobbiamo morire, sia per mano vostra, o Signore, piuttosto che per mano degli uomini »; e che, come ubbidendo alla voce del Vicario di Cristo benedicente si adunavano, così alla stessa voce ubbidendo e colla stessa benedizione preferiscano di sciogliersi; e disciolti li dichiariamo dalla data della presente lettera. Sa e vede il buon Dio quanta pena costi al Nostro cuore paterno una tale disposizione, anche solo pensando alla pena ed ai sacrificii che il conformarsi ad essa non può a meno di costare al cuore di tanti cari e prediletti figliuoli. Ma sappiamo di poter contare (e Ci è indicibile conforto in quest'ora di pena) sulla loro generosità e sulla loro fedeltà; come sappiamo di poter contare sulla carità e sullo zelo dei loro Vescovi, dei

---

nes Exploratores Catholici Itali, etiam speciem rationis vel aliquem praetextum haberent cur nos crederent vel solum putarent huiusmodi ordinationes simul nobis imputandas esse: quare arbitrati sumus et arbitramur esse definitum officium ministerii Apostolici Nobis divinitus concrediti, ut, finem silentio imponentes, explicite istam imputationem declinaremus.

Atque ut, quantum ad Nos spectat, istud argumentum Iuvenum Exploratorum Catholicorum Italiae absolvamus, primo mentem nostram convertimus ad sectiones obnoxias dissolutioni (i. e. sectiones locorum quae minus quam 20000 incolas numerant), et aestimavimus ipsos istos dilectos iuvenes, sicut olim sanctus rex David (2 Reg. 24, 14) dicere Domino « Si mori debemus, manus tua, Domine, potius quam manus hominum nos occidat » (1); et, sicut obtemperando voci Vicarii Christi benedicentis congregabantur, sic malle ut obsequendo eidem voci eademque benedictione muniti separentur; eosque a die praesentium litterarum dissolutos declaramus. Quantum huiusmodi praescriptum affligat Nostrum cor paternum, etiam solummodo recogitando aerumnam et incommoda quae cor tot carorum et praedilectorum filiolorum ex oboedienti exsecutione persentiet, Deus novit et videt. Sed compertum habemus (quod in hac hora dolorosa nobis est inenarrabili levamini) nos confidere posse eorum nobili et fideli animo, sicut novimus nos confidere posse caritati et zelo eorum episcoporum, eorum parochorum et eorum assistentium ecclesiasticorum, quibus *in*

(1) Vulgata habet « Melius est ut incidam in manus Domini... quam in manus hominum »

loro parroci e dei loro assistenti ecclesiastici, ai quali *in visceribus Christi* li raccomandiamo, perchè, nelle forme che carità e zelo non mancheranno di suggerire, continuino ed intensifichino presso di loro quelle cure che già seminarono e maturarono nelle loro file tanta messe di virtù e civili e religiose da chiamare su di essi in copia veramente mirabile le grazie privilegiate delle più alte e generose vocazioni. Ci sembra superfluo aggiungere parole, perchè ogni uomo sensato e di cuore veda e senta quanto ingiusta ed indegna cosa sarebbe attribuire la misura da Noi presa davanti a Dio, ad una ispirazione anche minima e lontanissima di animosità o di, come vogliasi dire, preventiva rappresaglia. Crediamo al contrario di risparmiare ad altri la non grata funzione di sciogliere o di far sciogliere tanti reparti di buoni e pacifici Giovani Esploratori, dei quali tante buone piccole popolazioni si compiacevano come di particolare e caro ornamento.

Alibi, eadem sui iuris esse sinit, servato, si malunt, nomine Exploratorum catholicorum.

Quanto ai reparti di Giovani Esploratori Cattolici Italiani che la nuova legge non assoggetta a scioglimento, siamo venuti nella deliberazione di lasciar loro ogni libertà di valersi della legge, a tale scopo dichiarandoli, come fin d'ora li dichiariamo, pienamente autonomi e, vogliamo dire, liberi da

---

visceribus Christi eos commendamus, ut modo quem caritas et zelus profecto admonebunt, pergant sicut antea, immo magis, apud eos explicare istas curas quae iam seminarunt et maturarunt in eorum ordinibus tantam messem virtutum civilium et religiosarum, quae gratias peculiares altissimarum et nobilissimarum vocationum copia vere mirabili ad se attraxerunt. Superfluum autem Nobis videtur addere verba quibus homo sensatus et cordatus videat et sentiat quam iniustum et indignum foret ascribere hoc nostrum decretum, cuipiam etiam minimae et remotissimae simultati vel, si ita dixeris, anticipatae vindictae. Contra, parcere putamus ingrato aliorum operi dissolvendi vel efficiendi ut dissolvantur tam multae sectiones bonorum et pacificorum Invenum Exploratorum, quibus tot exiguae civitates laetabantur tamquam speciali et amato ornamento. Quod ad sectiones Iuvenum Exploratorum Catholicorom Italiae quas nova lex non astringit dissolutioni, id consilii cepimus, ut ipsis omnino liberum usum legis permittamus, eosque ideo declaremus, sicut iam nunc declaramus, perfecte sui iuris i. e. solutos omni respectu et vinculo collectivae necessitudinis et, ut ita dicamus, officialis cum aliis organis Actionis Catholicae. Itaque, ut liquet, integrum ipsis est nomen servare Exploratorum catholicorum (quam appellationem, etiam ex amore linguae maternae, praeferimus et semper praetulimus nomini *Scouts*): confisi et certi, fore ut ipsi semper, immo magis magisque honori sint glorioso isti et sancto nomini Catholicorum, demonstrando in omni sua vita privata et publica istam magis completam et profundam humanitatem et instructionem religiosam, quae semper fuit principale eorum studium, et, quod cum intensa delectatione dicimus, magnum eorum meritum et honor.

Huiusmodi decretum, et quale ipsum definivimus, videtur, Nobis conveniens et debitum; quia tot Exploratoribus Catholicis (atque ut ascripti, longe maiore numero tales sunt) bonum et honorem negare non poteramus ut se dicerent

ogni riguardo e vincolo di solidarietà collettiva e, diciamo così, ufficiale colle rimanenti organizzazioni di Azione Cattolica; liberi anche, si intende, di continuare a chiamarsi Esploratori Cattolici (come preferiamo ed abbiamo sempre preferito a *Scouts*, anche per amore della lingua materna) fidenti e sicuri che sempre, anzi sempre più, faranno onore a quella gloriosa e santa denominazione di Cattolici, traducendo nella pratica di tutta la vita privata e pubblica quella più completa e più profonda coltura e formazione religiosa che è sempre stato il loro principale impegno e, lo diciamo con profonda compiacenza, il loro grande merito ed onore.

Cur ita statuat.

Una tale deliberazione, e così come l'abbiamo precisata, Ci sembra conveniente e doverosa, perchè da una parte non possiamo ricusare a tanti Esploratori Cattolici (e come ascritti sono questi il numero di gran lunga maggiore) il bene e l'onore di continuare ad essere e dirsi tali; dall'altra parte l'Azione Cattolica in sè e in tutte le sue oganizzazioni deve e vuole mantenersi al di fuori e al di sopra di ogni partito politico: ora l'Opera nazionale Balilla, per quanto dichiarata nazionale, è indubbiamente nella corrente di un partito politico, come traspare da tutto il Regolamento e più evidentemente da alcuni articoli di esso (Reg. tecn. discipl. cap. VI, art. 31 seg.).

Laetatur exceptis a lege institutis catholicis, praecipue Actionis catholicae.

Abbiamo fin dal principio accennato ad « incerta designazione » donde dubbi in molti e preoccupazioni circa le stesse organizzazioni di Azione Cattolica; volevamo alludere all'ultimo comma dell'articolo secondo del R. D. L. 9 Gennaio 1927 dove si dice che le precedenti disposizioni non riguardano « le organizzazioni ed opere con finalità prevalentemente religiose ». Siamo lieti di poter dire, a tranquillità di molti, che, per segni ed indizii non dubitabili, sembra sicuro che tra queste organizzazioni ed opere, quelle di Azione Cattolica sono appunto comprese. Nessuno può andarne consolato quanto Noi,

---

et essent tales; rursus autem *Actio Catholica* in se et in omnibus suis institutionibus, debet et vult stare extra et supra omnem factionem politicam: iam vero Opus nationale Balilla, utut se declaret *nationale*, concurrit procul dubio cum quadam factione politica, sicut proditur universa Ordinatione, et magis manifesto non nullis eius articulis (Reg. tecn. discipl. cap. VI, art. 31 ss.)

Ab initio memoravimus « incertam designationem, unde in multis dubia et sollicitudines de ipsis organis Actionis Catholicae; respiciebamus ultimum comma articuli 2 Regii Decreti Legis 9 ian. 1927, ubi superiora praescripta dicuntur non afficere « institutiones et opera quorum principalis finis est religiosus ». Laeti dicere possumus, ad sedandam multorum inquietudinem, ex signis et indiciis indubiis, satis constare inter institutiones et opera ista, haberi institutiones et opera. Actionis Catholicae. Nemo, quantum Nos inde so-

perchè appunto le finalità religiose abbiamo sempre pensato e voluto non solo come prevalenti, ma come essenziali alla Azione Cattolica, tanto che già nella prima nostra Enciclica *Ubi arcano* l'abbiamo definita la cooperazione del laicato all'apostolato gerarchico ed abbiamo dichiarato dover essa considerarsi dai sacri Pastori come una necessaria appartenenza del loro ministero e dai fedeli come un dovere della vita cristiana.

Sollicitus de patrocinio religioso et doctrina,

Ci resta, signor Cardinale, di confidarle le Nostre paterne preoccupazioni circa il punto che di tutti è certamente il più importante, il punto dell'assistenza religiosa e del religioso insegnamento ai tanti ed a Noi tanto cari giovani, che la legge chiama a far parte dell'Opera nazionale Balilla. Se, per le stesse, in fondo, ragioni storiche che già accennavamo scrivendole il giorno 18 Febbraio del 1926, tutta questa così importante e delicata materia non si è potuta trattare nei modi e colle forme che la sua stessa natura esigeva, non può nè deve questo essere motivo sufficiente per privare tanta gioventù di un elemento educativo di tutti il più prezioso ed essenziale.

Modum indicat apte componendi rem.

Meditando e cercando davanti a Dio un conveniente ed opportuno provvedimento Ci parve che basterebbe un cenno esegetico del Regolamento (l. c.) per rinviare i dirigenti dell'Opera nazionale Balilla ai rispettivi Vescovi: questi, per la maggiore conoscenza che hanno dei propri sacerdoti, sapranno indicare i più adatti all'uopo e potranno più da vicino e più efficacemente sorvegliarne e dirigerne l'opera; e, oltre a questo, nessun sacro canone impedisce che essi deleghino, allo scopo

---

lacium accipere potest, quia fines religiosi semper a Nobis existimati et voliti sunt non tantum praevalentes, sed etiam essentiales *Actioni Catholicae,* adeo ut iam in primis Nostris encyclicis litteris *Ubi arcano,* eam definiverimus esse cooperationem laicorum ad apostolatum hierarchicum, et declaraverimus eandem a sacris Pastoribus considerari debere ut necessariam accessionem eorum ministerii et a fidelibus ut officium vitae christianae.

Restat, Domine Cardinalis, ut tecum communicemus nostras sollicitudines de re quae momento suo ceteras certo superat, i. e. de patrocinio religioso et religiosa eruditione tot Nobisque tam dilectorum iuvenum qui lege cooptantur in nationale opus Balilla.

Quamvis eaedem, quod ad substantiam, rationes historicae quas in litteris ad te missis die 18 febr. 1926 iam iudicabamus, impedirent quominus argumentum tanti momenti et periculi tractaretur modis et formis quae natura sua postulabantur, haec tamen non est sufficiens ratio cur tam multi iuvenes parte maxime pretiosa et essentiali institutionis privarentur.

Dum coram Deo meditabatur inquirendo aptum et opportunum consilium, verbulum explicativum Ordinationis (l. c.) nobis apparuit sufficiens ut rectores Operis nationalis Balilla remitterentur ad suum quisque Episcopum: pro maiore

in discorso, la loro giurisdizione sui sacerdoti stessi al Prelato Castrense, ottenendosi così anche quella unità e centralità di ispezione e direzione, della quale non saremo Noi a mettere in forse la utilità e la opportunità; e non vogliamo neppure escludere che, mutate le circostanze, il tempo, l'esperienza, la buona volontà possano rendere possibili dei provvedimenti anche migliori.

Sperat omnibus probata fore quae post multas preces decrevit.

Dovevamo alla santità del ministero Apostolico divinamente affidatoCi di esprimere con ogni sincerità e franchezza tutto il Nostro pensiero, mentre da tutte le parti a Noi si guarda e a Noi si ricorre. Mai come in questi ultimi tempi (anche per quello che purtroppo avviene in altri paesi e lontani e vicini) abbiamo tanto pregato e fatto pregare per aver grazie e lumi da Dio. Nutriamo fiducia di bene apporCi pensando che Ella, con quanti dopo di Lei Ci leggeranno, è del Nostro medesimo avviso; che cioè ben difficilmente nelle attuali condizioni Nostre ed al punto che le cose stanno, potrebbesi da Noi più e meglio escogitare e proporre.

Benedictio.

E con questa fiducia di tutto cuore La benediciamo.

Dies (24 ian. 1927).

24 Gennaio 1927.

PIUS PP. XI.

---

notitia quam habent propriorum sacerdotum, hi magis fini idoneos designare, eorumque actionem propius et efficacius observare et moderari poterunt; ac nullo praeterea sacro canone prohibentur quin, in finem qui agitur, suam in sacerdotes iurisdictionem delegent Praelato Castrensi, atque hoc modo obtineant eam unitatem et centralem collocationem inspectionis et directionis, cuius utilitas et opportunitas minime a Nobis in dubium vocabuntur; neque negamus fieri posse ut, mutatis adiunctis, tempus, experientia, bona voluntas etiam melioribus ordinationibus viam aperiant.

Sanctitate ministerii Apostolici divinitus Nobis commissi cogebamur prorsus sincere et aperte omnem nostram mentem revelare, dum undique ad Nos respicitur et ad Nos recurritur. In his ultimis diebus magis quam umquam (etiam propter ea quae proh! dolor in aliis regionibus longinquis et vicinis accidunt) oravimus et orationes imperavimus, ut a Deo gratias et lumina impetraremus. Confidimus nos bene conicere, existimando Te cum aliis quotquot Nos post Te lecturi sunt, eiusdem esse ac Nos sententiae; i. e. in praesenti nostra condicione et hoc rerum momento difficilius quidquam ultra et melius excogitari et proponi posse.

Ita confisi benedicimus Tibi ex toto corde

24 ian. 1927.

PIUS PP. XI.

Annotationes

Pro explicatione istarum litterarum quae vitam socialem et religiosam Italiae nimis afficiunt quam ut eas praetermittere possemus, satis fere est illustrare quaedam Pontificis verba, his paucis notis.

I. — *Occasionem* litteris dederunt decreta regia 9 ian. 1927, quae prohibent quominus in omnibus locis quae non habent 20000 incolas, aliud agmen adolescentium constituatur praeter nationale vocatum a Balilla.

II. — *Balilla* est cognomen adolescentis Genuensis qui veris suis nominibus appellabatur Ioannes Baptista Perasso. Is natus anno 1729, 5 dec. 1746, cum milites Austriaci etiam fustibus cogere vellent cives Genuenses ad ipsos iuvandos in extrahenda machina militari e lacuna quam proprio pondere fecerat in via, arrepto saxo atque iniecto in militem percussorem, initium fecit lapidationis quae milites fugavit, et sic populum excitavit ad insurgendum alieno dominatui.

III. — Rationem autem Status a qua catholica religio abhorret, S. Pontifex his verbis definit in allocutione consistoriali 14 dec. 1925 « Ecclesia... alienissima est... ab omni alia de rebus politicis notione quae teneat civitatem seu Statum sibi ipsum veluti finem extremum sufficere, (*A. A. S.*, 1925, XVII, 641. 642; *Per.*, XIV, 162); in allocutione autem 20 dec. 1926 : « Civitatem seu Statum sibi ipsum finem esse ultimum ; civem nisi ad Civitatem non ordinari ; ad eam omnia oportere conferri, in ea absumi omnia » (*A. A. S.*, 1926, XVIII, 523; *Per.*, XV, 208).

IV. — Cur non potuerit quaestio de morali et religiosa institutione adolescentium eo modo solvi quem ius naturae postulabat, sic indicavit in chirographo 18 feb. 1926: « nessuna conveniente trattativa, nessun legittimo

accordo ha avuto luogo nè poteva o potrà avere luogo finchè duri la iniqua condizione fatta alla S. Sede ed al Romano Pontefice » (*A. A. S.*, 1926 XVIII, 85; *Per.*, XV, 30), quod sic in *Per.*, l. c. latine reddidimus: « nullus congruus tractatus, nulla legitima conventio facta fuit, nec fieri poterat aut poterit quam diu permanserit iniqua condicio facta S. Sedis et Romano Pontifici ».

2. — Pacta Conventa 4 dec. 1926 Sanctae Sedis cum Gallia

DE HONORIBUS LITURGICIS LEGATORUM.
(A. A. S., 15 ian. 1927, XIX, 9)

I. — ACCORD ENTRE LE SAINT-SIÈGE ET LA FRANCE (1)

RELATIVEMENT AUX HONNEURS LITURGIQUES DANS LES PAYS OÙ S'EXERCE LE PROTECTORAT RELIGIEUX FRANÇAIS.

Ratio pactionis.

Le Saint-Siège ayant le souci d'unifier les honneurs liturgiques à rendre au cours des cérémonies du culte catholique aux Représentants de la France en reconnaissance du protectorat religieux français dans les pays d' Orient où ce protectorat religieux existe en vertu des traités internationaux, capitulations, commandements, us et coutumes,

le Saint-Siège et le Gouvernement de la République française sont tombés d'accord sur les dispositions suivantes :

I

In regionibus ubi patronatus exercetur.

Dans les pays d' Orient où le protectorat religieux de la France existe actuellement en vertu des traités internationaux,

(1) Conventio inter S. Sedem et Galliam De honoribus liturgicis in regionibus ubi religiosus Galliae patronatus exercetur.

Cum S. Sedes sollicita sit de uniformitate honorum liturgicorum qui, inter caerimonias catholici cultus, praestandi sunt Legatis Galliae pro gallico patronatu catholico in regionibus Orientis in quibus vi pactionum internationalium, capitulationum, dominationum *(Commandements)*, usuum et consuetudinum exsistit.

S. Sedes et Gubernium Gallicae Reipublicae de sequentibus punctis consenserunt.

I

In partibus Orientibus in quibus vi pactionum internationalium, capitu-

capitulations, commandements, us et coutumes, et dans les endroits ou églises où il existe, les honneurs à rendre au Représentant de la France seront rendus à celui-ci les jours de Noël, de Pâques et de la Pentecôte.

Quandonam.

II

Les honneurs prévus à l'article premier seront les suivants:

Et quinam honores sint praestandi.

a) le Représentant de la France sera invité à la Messe solennelle;

b) une place d'honneur lui sera réservée en dehors et en face du chœur ou presbytère; toutefois, dans les églises ou chapelles où le banc consulaire français faisait partie du mobilier fixe et inamovible de l'édifice lors de la signature du présent Accord, le Représentant de la France en conservera l'usage, même si ce banc est situé à l'intérieur du chœur ou presbytère;

c) le clergé recevra le Représentant de la France à l'entrée de l'église, lui offrira l'eau bénite et le conduira à sa place;

d) au cours de la cérémonie, le clergé l'encensera avant les assistants;

e) la Messe achevée, le clergé l'accompagnera jusqu' à la sortie.

III

Ce privilège serait suspendu si le Gouvernement local y faisait opposition. Le Saint-Siège se réserve de le suspendre

Causae suspensionis,

---

lationum, dominationum, usuum et consuetudinum, religiosus Galliae patronatus actu exsistit, honores legato Galliae debiti praestabuntur diebus Nativitatis Domini, Paschatis et Pentecostes.

II

Honores autem de quibus in art. I, hi sunt: *a*) Galliae Legatus ad Missam sollemnem invitabitur;

b) Locus distinctus ipsi extra chorum vel presbyterium et e regione chori vel presbyterii reservabitur; in ecclesiis vel sacellis tamen in quibus, dum praesens conventio subsignatur, scamnum consulare Gallicum pars erat stabilis et immobilis supellectilis aedificii, Galliae legatus eius usum servabit, etiam si intra chorum vel presbyterium collocetur;

c) Clerus legatum Galliae excipiet ad ecclesiae ingressum, ei aquam lustralem offeret et ad locum suum comitabitur.

d) Inter caerimoniam, a clero ante assistentes incensabitur;

e) Post finitam Missam, clerus ipsum usque ad egressum deducet.

III

Privilegio isti supersederetur si Gubernium locale ei obstiterit. S. Sedes sibi etiam facultatem reservat eidem supersedendi, si Galliae Gubernium suam Legationem apud S. Sedem non servaverit.

également au cas où le Gouvernement français viendrait à ne pas maintenir son Ambassade auprès du Saint-Siège.

Delegationis alteri.

Si le Représentant de la France n'était pas de religion catholique, il lui appartiendrait de désigner parmi ses collaborateurs une personne dûment qualifiée et de la déléguer pour le représenter à la cérémonie religieuse et y recevoir les honneurs ci-dessus prévus. Il en serait de même si le Saint-Siège et le Gouvernement de la République étaient d'accord pour constater que le Représentant de la France, quoique originairement de confession catholique, professait ouvertement des sentiments incompatibles avec la religion catholique.

Dies et locus.

Fait à Paris en double exemplaire le 4 Décembre 1926.

(Signé) ✠ LUIGI MAGLIONE (Signé) A. BRIAND.
Archevêque de Césarée, Nonce Apostolique.

II. — ACCORD ENTRE LE SAINT-SIÈGE ET LA FRANCE (1)

RELATIVEMENT AUX HONNEURS LITURGIQUES DANS LES PAYS OÙ LES CAPITULATIONS SONT ABROGÉES OU NON APPLIQUÉES.

Ratio cur, etsi adiuncta mutata sunt, S. Sedex candedat privilegia.

Bien que l'abolition des Capitulations dans le territoire de la Turquie ait été sanctionnée par l'article 28 du traité de Lausanne, que la non application actuelle desdites Capitulations soit prévue par l'article 5 du mandat sur la Syrie, l'article 8 du mandat sur la Palestine et l'article 9 du traité entre la Grande-Bretagne et l'Iraq, et qu'il en puisse résulter dans le premier cas l'abolition et, dans le second, la non application actuelle du protectorat français et, par conséquent, des honneurs liturgiques rendus de ce chef aux agents diplomatiques et consulaires de la France;

Si Galliae legatus non fuerit religione catholicus, ad ipsum spectarit designare inter collaboratores suos personam debitis qualitatibus instructam, eamque delegandi ad supra praefatos honores recipiendos.

Perinde fuerit si S. Sedes et Reipublicae Gubernium simul agnoverint Galliae Legatum, etsi origine confessionis catholicae, aperte profiteri sensus qui cum religione catholica componi nequeant.

Factum Parisiis, duplici exemplari, 4 dec. 1926.

(1) Conventio inter S. Sedem et Galliam De honoribus liturgicis in regionibus ubi capitulationes suppressae sunt aut extra usum.

Quamvis suppressio capitulationum in Turcico territorio, articulo 28 tractatus Lausannensis sancita sit, praesens autem non usus dictarum Capitulationum praevisus sit art. 5 mandati supra Syriam, art. 8 mandati supra Palaestinam et art. 9 tractatum inter Angliam et Iraq, atque in priore casu suppressio, in altero vero praesens non usus patronatus Galliae ac proinde honorum liturgicorum hoc titulo exhibitorum ministris diplomaticis et consularibus Galliae, inde consequi possint;

Néanmoins le Saint-Siège, en reconnaissance des services rendus depuis des siècles aux individus et communautés catholiques de toutes nationalités dans les Échelles du Levant par les agents diplomatiques et consulaires de France, concéde au Gouvernement de la République française le privilège d'obtenir pour les agents diplomatiques et consulaires français les honneurs liturgiques ci-dessous spécifiés.

I

Quid concedatur.

Les jours qui seront spécifiés dans l'article suivant:

a) le Représentant de la France sera invité à la Messe solennelle;

b) une place d'honneur lui sera réservée en dehors et en face du chœur ou presbytère. Toutefois dans les églises ou chapelles où le banc consulaire français faisait partie du mobilier fixe et inamovible de l'édifice lors de la signature du présent Accord, le Représentant de la France en conservera l'usage, même si ce banc est situé à l'intérieur du chœur ou du presbytère;

c) le clergé recevra le Représentant de la France à l'entrée de l'église, lui offrira l'eau bénite et le conduira à sa place;

d) au cours de la cérémonie, le clergé l'encensera avant les assistants;

e) la Messe achevée, le clergé l'accompagnera jusqu'à la sortie.

II

Quibusnam diebus.

Les honneurs à rendre au Représentant de la France conformément à l'article premier seront, dans les territoires qui font actuellement partie de la Turquie, rendus les jours de Noël, de Pâques et de la Pentecôte. Dans les territoires de la Syrie et du Liban, ces honneurs seront rendus aux dates traditionnelles et suivant les usages dûment établis.

Nihilo minus, grata de beneficiis quae, opera ministrorum diplomaticorum et consularium Galliae, catholicis personis et communitatibus omnis nationis sic dictis scalis Orientis (*les Échelles du Levant*) a saeculo tributis, S. Sedes concedit Gubernio Gallicae Reipublicae privilegium obtinendi gallicis ministris diplomaticis et consularibus, liturgicos honores hic infra descriptos.

I

Diebus qui in articulo sequenti designabuntur: (dein a) b) c) d) e) ut supra art. IV).

II

Honores debiti Legato Galliae secundum articulum primum praestabuntur, in territoriis quae actu pars sunt Turcici imperii, diebus Nativitatis Domini,

Causae suspensionis,

Ce privilége serait suspendu si le Gouvernement local y faisait opposition. Le Saint-Siège se réserve de le suspendre également au cas où le Gouvernement français viendrait à ne pas maintenir son Ambassade auprès du Saint-Siège.

Delegationis alteri.

Si le Représentant de la France n'était pas de religion catholique, il lui appartiendrait de désigner parmi ses collaborateurs une personne dûment qualifiée et de la déléguer pour le représenter à la cérémonie religieuse et y recevoir les honneurs ci-dessus prévus. Il en serait de même si le Saint-Siège et le Gouvernement de la République étaient d'accord pour constater que le Représentant de la France, quoique originairement de confession catholique, professait ouvertement des sentiments incompatibles avec la religion catholique.

III

Honores praeterea permissi.

Le Saint-Siège ne s'oppose pas aux usages locaux qui réservent au Représentant de la France des honneurs spéciaux mais conformes aux usages locaux de la liturgie catholique, y compris, lorsque lesdits Représentants entrent en charge, le chant du *Te Deum* dans les églises ou chapelles sur lesquelles la France a des droits de propriété ou de patronage, ou qui sont annexées à des établissements français. Il en est de même en ce qui concerne les églises ou capelles des Rits orientaux où ces honneurs par suite d'une coutume séculaire, leur sont traditionnellement rendus en reconnaissance particulière des bons offices de la France.

IV

Oratio pro Re publica post missam paroecialem, in ter-

Il est entendu que dans les territoires de Syrie et Liban confiés au mandat de la France, la Messe paroissiale comportera, les dimanches et jours de fêtes religieuses et nationales,

---

Paschatis et Pentecostis. In territoriis Syriae et Libani, praestabuntur diebus traditione designatis et secundum usus legitime constitutos.

Privilegio isti supersederetur etc. sicut art. III supra.

III

Sancta Sedes non repugnat usibus localibus qui Galliae Legato addicunt peculiares honores consentaneos tamen localibus usibus liturgiae catholicae, non excluso, quando praefati Legati munus suscipiunt, cantu *Te Deum*, in ecclesiis vel sacellis in quae Gallia dominii vel patronatus ius habet, vel quae gallicis institutionibus annexa sunt. Perinde dicas de ecclesiis vel sacellis rituum Orientalium in quibus vi saecularis usus honores traditione exhibentur e grato animo propter Galliae bene facta.

IV

Ita convenit, ut in territoriis Syriae et Libani quae Galliae commissa sunt regenda, diebus Dominicis et festis religiosis et nationalibus, missae pa-

sauf dans les églises ou chapelles affectées au service particulier d'une colonie étrangère, le chant du *Domine, salvam fac Rempublicam,* à l'exclusion d'autres chants incompatibles avec l'autorité et la forme constitutionnelle de la Puissance mandataire et avec le statut organique des territoires sous mandat.

ritoriis, Sub mandato.

Fait à Paris en double exemplaire, le 4 Décembre 1926.

Dies et locus.

(Signé) ✠ LUIGI MAGLIONE
Archevêque de Césarée, Nonce Apostolique.

(Signé) A. BRIAND.

3. — Ex audientia Sanctissimi
Declaratio 24 febr. 1927

DE VENIA LEGENDI EPHEMERIDEM « ACTION FRANÇAISE »
(A. A. S., 5 maii 1927, XIX, 185)

Audientia.

Cum Beatissimus Pater, die XXIV mensis Februarii a. MDCCCCXXVII, E.mum Dominum Card. Ludovicum E. Dubois, Archiepiscopum Parisiensem, coram admisisset, haec quae sequuntur, quoad damnationem Commentarii diurni *L'Action Française* eidem percontanti declaravit:

Reservatio Pontifici.

1. Cum Summus ipse Pontifex memoratum Commentarium Indici librorum prohibitorum inseruerit, idem unus huiusmodi interdictione ac vetito exsolvere potest.

Potestas facta episcopis Galliae.

2. Attamen, pro sua in Galliae Episcopos benevolentia ac peculiari fiducia, eisdem facultatem facit, ut veniam dare queant, raro quidem ac gravibus tantum de causis, fidelibus suae cuiusque iurisdictioni subiectis, legendi Commentarii *L'Action Française.*

Generalia indulta hanc veniam non dant.

3. Quae autem generali modo iam habita sunt, aut in posterum habebuntur, rescripta legendi libros aut ephemerides prohibitos, veniam non praebent memoratum Commentarium legendi, tam sollemni documento ab ipsa Sanctitate Sua proscriptum.

Mandatum communicandi et divulgandi.

Quas quidem declarationes Augustus Pontifex E.mo Cardinali Archiepiscopo Parisiensi mandavit ut cum ceteris universae

---

roeciali, exclusis cantibus qui componi nequeunt cum auctoritate et regimine Status mandatarii et statuto organico territoriorum quae sub mandato posita sunt annectatur cantus « Domine salvam fac Rempublicam ». Excipiuntur ecclesiae vel oratoria quae peculiari usui alienae coloniae deputata sunt.

Factum Parisiis, duplici exemplari, 4 Dec. 1926.

Galliae Cardinalibus et Archiepiscopis, in communem coetum mox conventuris, communicaret, easque publici iuris fieri iussit.

Gallica autem Notificatio Archiepiscopatus Parisiensis ita sonabat :

Dies (24 feb. 1927).

Dans une audience accordée à Son Ém. le Cardinal archevêque de Paris, le 24 février 1927, S. S. Pie XI a daigné préciser sa volonté sur la mise à l'Index du journal l'*Action Française*, avec mission de la transmettre à l'assemblée des Cardinaux et archevêques de France.

Mens Pontificis.

1°. Le Pape ayant personnellement mis à l'Index le journal l'*Action Française*, c'est lui personnellement, qui, *seul*, peut donner dispense de la prohibiton portée;

2° Par mesure de bienveillance, et en témoignage de sa confiance, Pie XI autorise les évêques français à donner la permission de lire l'*Action Française*, mais seulement dans des cas *très rares* et pour de *graves* motifs.

3°. Les permission *générales* de l'Index obtenues ou à obtenir ne donnent pas par elles-mêmes l'autorisation de lire le journal prohibé par cet acte personnel de Sa Sainteté.

Vis notificationis.

Ces décisions ont été effectivement communiquées par Son Em. le Cardinal Archevêque de Paris à l'assemblée des Cardinaux et Archevêques de France, le mardi 15 mars 1927, et, in vertu du canon 239 n. 17, elles doivent être considérées comme authentiques et obligatoires en conscience.

Annotationes

I. Canon 239, n. 17, ita sonat: (Cardinales a sua promotione in Consistorio facultate gaudent) « 17° Fidem faciendi in foro externo, de oraculo Pontificio testantes ».

II. Id compertum habemus, a generali facultate quam *S. Officium* impertit legendi libros prohibitos, explicite excipi ephemeridem *L'Action Française*.

4. — SS. D. N. Pii Pp. XI

Breve 20 iul. 1926

APPROBANS REVISAS CONSTITUTIONES ORD. S. IOANNIS DE DEO

(A. A. S., 5 maii 1927, XIX, 176)

PIUS PP. XI

Occasio litterarum in forma Brevis.

Ad perpetuam rei memoriam. — **De regulari** Religiosorum coetuum disciplina servanda solliciti, Romani Pontifices, decessores Nostri, eorundem Ordinum constitutiones statutaque supremae Apostolicae Auctoritatis sanctioni reservarunt; eaque ad maiorem Dei gloriam populique christiani salutem, immutare, emendare et locorum temporumque necessitatibus aptare consueverunt. Quapropter, cum hodiernus Prior generalis Hospitalarii Ordinis Sancti Ioannis de Deo, suo ac provincialium moderatorum atque universae familiae religiosae, cui praeest, nomine, enixis Nos precibus rogaverit ut memorati Ordinis regulas et constitutiones, iam a Decessoribus Nostris iterum iterumque probatas, nunc ad Codicis iuris canonici normam redactas, de integro recognoscere Nostroque assensu munire dignaremur, Nos huiusmodi votis adnuendum existimavimus; idque eo libentius facimus, ut erga Ordinem ipsum, tot tantisque nominibus bene meritum ac clarum christianae caritatis speculum, perenne Nostrae etiam benevolentiae pignus permaneat. Neminem quidem latet Ordinem Fratrum Hospitalarium nomen atque originem suam duxisse a IOANNE CIUDAD, sive, « de Deo » vulgo appellato, hispano viro, qui vertente sexto decimo saeculo post varias asperasque suae vitae vicissitudines ad pauperum infirmorum solamen procurandum se divinitus vocari sensit; atque infirmorum servus pro Christo factus, in nosocomiis hospitiisque inter aegrotos ac derelictos totum, quod ei adhuc mortalis vitae fuit, bene faciendo pertransiit. Cognitum quidem est humili Dei Famulo religiosi Ordinis conditori, pietatis atque heroicae in proximos caritatis officiis continenter intento, tempus quoque defecisse regulas exarandi; at uni tantum e sodalibus, qui virtutum illius claritate ducti, ad eum confluxerant, et in bonorum operum exercitatione atque in ministerio infirmorum sese adiutores dederunt, salutaria nonnulla de sancte vivendi ratione hortamenta reliquit. Post

Recognitae regulae et Constitutiones; preces Prioris et Provincialium.

Benevolentia Pontificis.

Fata historica Ordinis.

Eius conditor.

Genesis regularum.

sancti Ioannis de Deo pretiosam in conspectu Domini mortem, iidem sodales antequam in varias regiones et civitates sive in Hispania, sive extra, discederent, ad officia caritatis exercenda iuxta Ioannis exemplum ac monita, communem certis sub regulis vitam ineundi consilium ceperunt; proptereaque ad hunc finem duos e sodalibus hanc Almam ad Urbem miserunt, qui ineuntem congregationem Summo Ecclesiae Moderatori, qui tunc temporis erat sanctae memoriae Decessor Noster Pius Pp. V, commendarent. Hic vero Ioannis de Deo sociis ut sancti Augustini regulas servarent mandavit, illisque communem habitum imposuit ac scapulare, quin tamen permitteret, ut in verum propriumque religiosum statum coirent ac sollemnia vota nuncuparent. Paucos autem post annos rec. mem. Sixtus Pp. V, piam confratrum eorumdem vitam et suscepta ab ipsis opera demiratus, per Apostolicas Litteras, die I mensis Octobris anno MDLXXXVI Piscatoris anulo obsignatas, coetum Fratrum S. Ioannis de Deo nuncupatorum in verum ac proprium Ordinem religiosum erexit, facta quidem facultate primum generale capitulum in Urbe celebrandi et proprias proinde constitutiones exarandi. Subsequenti itaque anno primum ipsum capitulum Romae habitum est, et coadunati in eo Fratres statuta Ordinis proposuere; quae tamen vix delineata ac manuscripta manserunt, donec, Paulo V Pontifice, meliorem in formam relata, per Litteras Apostolicas, die XV mensis Aprilis anno MDCXVII datas, rite probata ac praelo impressa fuere. Nonnullis iterum mutatis, vel additis, dictae regulae anno MDCCXVIII per typos editae sunt, cum, prudentium virorum iudicio, adhuc illius Instituti proposito fini plene respondentes habitae sint. Sed labentibus annis, ut eaedem regulae etiam novis temporibus magis accommodatae redderentur, Ordinis Sancti Ioannis de Deo moderatoribus peropportunum visum est, impetrata huius Apostolicae Sedis venia, nonnullas alias immutationes in ipsas inferre. Vertente igitur anno MDCCCLXII rec. mem. praedecessor Noster Pius Pp. IX Praeposito generali Ordinis praedicti commisit ut, auditis provincialibus moderatoribus, inspectisque locorum ac temporum adiunctis, servata etiam priorum constitutionum substantia, novas conscriberet regulas. Attamen cum aliae in Hispania consuetudines, aliae in Italia vigerent, res diu producta est ad unitatem obtinendam, ita ut tantum decessori Nostro Leoni Pp. XIII datum fuerit regulas ipsas opportune immutatas, antea in experimentum ad quinquennium, dein probare ac per decretum Congregationis Episcoporum et Regularium die XXX mensis Augusti anno MDCCCXC editum definitive confirmare.

Formalis erectio Ordinis a Sixto V effecta.

Statuta a Paulo V probata.

Novae Constitutiones Pio IX Pontifice praeparatae,

a Leone XIII approbatae.

Verum etiam in praesens, praesertim post iuris canonici Codicis promulgationem, quaedam desiderabantur additamenta ad ipsius Ordinis bonum satius consulendum; ideoque hodiernus Prior generalis novum regularum schema Nobis exhibuit suprema Sanctae huius Sedis adprobatione muniendum. *Nunc propositae emendatae.*

Quae quidem emendatae constitutiones, latino sermone exaratae, a Sacra Congregatione Religiosorum Sodalium recognitae sunt, earumque tenor hic sequitur, videlicet:

CONSTITUTIONES ORDINIS HOSPITALARII S. IOANNIS DE DEO

CAPUT I

Titulus, natura et finis Ordinis

1. Titulus quo a Sancta Ecclesia Religio Nostra recognoscitur hic est... *et quae sunt reliqua:*

Approbatio

Votis itaque sodalium Ordinis Hospitalarii S. Ioannis de Deo obsecundantes, ut uberiore ipsi cum fructu salutare ministerium suum in terris implere valeant, conlatis etiam consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationi praepositis pro regularium familiarum negotiis pertractandis, omnibusque rei momentis attente perpensis, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum Constitutiones suprascriptas Hospitalarii Ordinis S. Ioannis de Deo plenissime adprobamus eisdemque supremum Apostolicae sanctionis robur adiicimus.

Clausulae

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri vel obtinere, eidem Ordini Hospitalario a Sancto Ioanne de Deo nuncupato plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc atque inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter, attentari contigerit. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque in contrarium facientibus quibuslibet. Volumus autem ut praesentium Litterarum exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo

personae in ecclesiastica dignitate vel officio constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si exhibitae forent vel ostensae.

Dies (10 iul. 1926).

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XX mensis Iulii anno MDCCCCXXVI, Pontificatus Nostri quinto.

P. Card. GASPARRI, *a Secretis Status.*

5. — Suprema C. S. Officii

Instructio ad Locorum Ordinarios 3 maii 1927

DE SENSUALI ET DE SENSUALI-MYSTICO LITTERARUM GENERE.

(A. A. S., 5 maii 1927, XIX, 186)

Maxime damnosa genera litterarum sensualitati et lascivo mysticismo indulgentia.

Inter mala huius aetatis funestissima, quae doctrinam christianam de moribus penitus subvertunt atque animabus, Iesu Christi emptis pretioso Sanguine, admodum nocent, imprimis numeranda sunt ea litterarum genera quae sensualitati et libidini aut etiam lascivo cuidam mysticismo indulgent. Huiusmodi sunt praecipue fabulae romanenses, narratiunculae commenticiae, dramata, comoediae, quarum quidem scriptionum incredibiliter fecunda sunt haec tempora quotidieque maior ubique copia diffunditur.

Quae ingeniorum commenta quibus tam multi, maximeque iuvenes, tantopere capiuntur, si pudoris et honestatis finibus, non sane angustis, continerentur, non solum sine fraude delectare, sed etiam ad legentium mores conformandos prodesse possent.

Mali descriptio et extensio.

Nunc vero satis dolere non licet, ut dictum est, ex hac affluentia librorum in quibus magna cum fascinatione nugacitatis par inest turpitudo, gravissimam animarum iacturam exsistere. Etenim quam plures huius generis scriptores fulgentissimis imaginibus impudica facta depingunt; obscoenissima quaeque, modo tecte, modo aperte et procaciter, omni castimoniae lege neglecta, enarrant; subtili quadam analysi vitia carnalia vel pessima describunt eaque cunctis orationis luminibus et lenociniis exornant, adeo ut nihil iam in moribus inviolatum relinquatur. Id omne quam perniciosum sit, praesertim adolescentibus, quibus fervor aetatis difficiliorem efficit continentiam,

nemo est qui non videat. Volumina autem illa, tenuia saepe, parvo venalia prostant apud bibliopolas, per vias et plateas civitatum, in stationibus, quae dicuntur, viae ferreae, eademque in manus omnium mira rapiditate veniunt et familias christianas in magna et luctuosa frequenter discrimina adducunt. Nam quis ignorat litteris eiusmodi phantasiam fortiter excitari, effrenatam libidinem vehementer accendi et cor in coenum turpitudinum trahi?

Pessimae fabulae quae lascivo mysticismo indulgent.

Ceteris vero fabulis amatoriis multo peiores solent ab iis proferri qui, horribile dictu, pabulum morbosae sensualitatis rebus sacris cohonestare non verentur, amoribus impudicis quandam pietatem in Deum et religiosum mysticismum, falsissimum quidem, intexendo: quasi Fides cum rectae vivendi normae negligentia, imo impudentissima infitiatione, componatur, et virtus religionis cum morum depravatione consocietur. Contra, sanctum est vitam aeternam neminem consequi posse, qui, licet veritates divinitus revelatas vel firmissime credat, praecepta tamen a Deo data non custodit, cum christiani hominis ne ipsum quidem mereatur nomen quicumque fidem Christi professus, Christi vestigiis non ingreditur: « Fides sine operibus mortua est » (Iac., 2, 26) monuitque Salvator noster: « Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum » (Matt., 7, 21).

Allatae excusationes.

Ne quis vero illa opponat: in pluribus illorum librorum nitorem et ornamenta orationis vere laudanda inesse, psychologiam hodiernis inventis congruentem praeclare doceri, lascivas autem corporis voluptates eo reprobari quod exprimantur, ut sunt, foedissimae, aut quod interdum cum conscientiae angoribus coniunctae ostendantur, vel quod patefiat quam saepe extrema turpissimi gaudii luctus cuiusdam poenitentiae occupet. Nam neque scribendi elegantia, nec medicinae aut philosophiae scientia — si modo his litterarum generibus ea continentur — nec mens, quaevis ea sit, auctorum impedire umquam possunt quominus lectores, quorum generatim, propter naturae corruptionem, magna est fragilitas magnaque ad luxuriam propensio, paginarum immundarum illecebris sensim irretiti, et mentibus pervertantur et cordibus depraventur, ac, remissis habenis cupiditatum, ad scelera omnis generis delabantur, vitamque ipsam, sordibus oppletam, fastidientes, haud raro se ipsi interimant.

Dolenda cooperatio scriptorum qui se christianos vocant.

Ceterum quod mundus, qui sua quaerit usque ad contemptum Dei, his libris delectetur, eosdemque divulget, mirandum non est; sed maxime dolendum, a scriptoribus qui christiano nomine

se iactant, operam studiumque in tam exitiosas litteras conferri. Numquid fieri potest ut principiis ethicae evangelicae adversando, adhaereatur Iesu benedicto, qui omnibus, ut carnem cum vitiis et concupiscentiis suis crucifigant, praecepit? « Si quis vult — inquit — post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me » (Matt., 16, 24).

Quousque processum sit.

Atque eo quidem audaciae et impudentiae scriptores processisse non paucos videmus, ut ea ipsa vitia suis libris in vulgus spargant, quae Apostolus vel nominari a christifidelibus vetuit: « Fornicatio autem, et omnis immunditia... nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos » (*Eph.*, 5, 3). Discant isti tandem aliquando se duobus dominis servire non posse, Deo et libidini, religioni et impudicitiae. « Qui non est mecum — ait Dominus Iesus — contra me est » (Matt., 12, 30), ac certe cum Iesu Christo non sunt scriptores sordidis descriptionibus bonos depravantes mores, qui societatis civilis ac domesticae sunt verissima fundamenta.

Inde mandatum Apostolica auctoritate, locorum Ordinariis datum.

Itaque perspecta litterarum lascivarum colluvie, quae quoquo anno latius omnes fere nationes inundat, Sacra haec Suprema Sancti Officii fidei et moribus tuendis praeposita Congregatio, Apostolica auctoritate ac nomine SS.mi Domini Nostri Pii Divina Prov. Papae XI, omnibus locorum Ordinariis mandat, ut omni qua possunt ope tanto tamque praesenti malo mederi conentur.

Actio S. Sedis non sufficit eradicando malo.

Profecto ipsorum est, qui a Spiritu Sancto positi sunt regere Ecclesiam Dei, in omnia, quae in suis dioecesibus typis imprimantur et edantur, solerter diligenterque invigilare. Neminem autem illud effugit, libros, qui toto orbe hodie vulgantur, longe crebriores esse quam qui a Sede Apostolica examini possint subiici. Propterea Pius X s. r. Motu-proprio « *Sacrorum Antistitum* » haec edixit: « Quicumque in vestra uniuscuiusque dioecesi prostant libri ad legendum perniciosi, ii ut exsulent fortiter contendite, solemni etiam interdictione usi. Etsi enim Apostolica Sedes ad huiusmodi scripta e medio tollenda omnem operam impendat, adeo tamen iam numero crevere, ut vix notandis omnibus pares sint vires. Ex quo fit, ut serior quandoque paretur medicina, quum per longiores moras malum invaluit ».

Sollicitatur allegatis litteris Pii X zelus Ordinariorum.

Nec vero talium voluminum et opusculorum pleraque, quamquam perniciosissima, speciali Supremae huius Congregationis censura plecti valent. Quare Ordinarii ex canone 1397 § 4 C. I. C. per se aut per Consilia *a vigilantia*, quae quidem Summus idem Pontifex, litteris encyclicis « *Pascendi dominici gregis* » instituit, sedulo naviterque gravissimum istud munus explere

studeant; neque opportune denunciare in dioecesanis Commentariis praetermittant eosdem libros uti damnatos et quam maxime noxios.

Memorantur proscriptiones per regulas generales.

Praeterea quis ignorat Ecclesiam generali lege iam statuisse, ut libri pravitate infecti, qui morum integritatem data opera vel ex professo laederent, vetiti haberentur omnes, perinde ac si in *Indicem* librorum prohibitorum relati essent? Consequitur inde ut peccatum letale ab iis admittatur qui sine permissione debita librum non dubie salacem legant, etiamsi ab auctoritate ecclesiastica non sit nominatim damnatus. Et quia de hac re, maximi quidem momenti, falsae et exitiosae opiniones obtinent inter christifideles, ideo locorum Ordinarii pastoralibus admonitionibus curent, ut imprimis parochi eorumque adiutores animum in id intendant, et fideles opportune edoceant.

Ordinarii declarent libros ipso iure prohibitos; si e re est addant peculiare decretum.

Insuper omnibus declarare qui libri nominatim, pro singularum dioecesium necessitatibus, ipso iure prohibiti sint Ordinarii ne omittant. Quod si fideles a volumine quopiam arcere efficacius celeriusque se posse existiment si peculiari decreto illud improbent, hoc suo iure omnino utantur oportet sicut, gravioribus causis postulantibus, id ipsum consuevit S. Sedes, ad praescriptum canonis 1395 § 1 C. I. C.: « Ius et officium libros ex iusta causa prohibendi competit non solum supremae auctoritati ecclesiasticae pro universa Ecclesia, sed pro suis subditis Conciliis quoque particularibus et locorum Ordinariis ».

Relatio facienda S. Officio de sua actione.

Denique haec Suprema Sacra Congregatio omnes Archiepiscopos, Episcopos et reliquos locorum Ordinarios iubet, occasione relationis dioecesanae, quidquid contra libros lascivos statuerint et exsecuti sint, Sancto Officio manifestare.

Dies (3 maii 1927).

Ex aedibus Sancti Officii, die 3 Maii 1927.

L. ✠ S.

R. Card. MERRY DEL VAL, *a Secretis.*

6. — S. C. Concilii

Decretum 22 feb. 1927

DE SACERDOTIBUS MAGISTERII MUNUS GERENTIBUS IN PUBLICIS SCHOLIS

(A. A. S., 2 mart. 1927, XIX, 99)

DECRETUM

Decreti occasio.

Cum plures locorum Ordinarii postulavissent ut peculiaribus quibusdam normis sacerdotum disciplina, qui in publicis scholis

docent, regeretur, haec Sacra Congregatio in plenariis comitiis diei 15 Ianuarii huius anni decrevit servanda ea quae sequuntur; quae quidem SS. D. N. Pius divina Providentia PP. XI, in audientia die prima mensis Februarii ab E.mo Cardinali huius Sacrae Congregationis Praefecto habita, rata firmaque voluit eademque publici iuris fieri mandavit.

Approbatio et mandatum SS.

I. Sanctae Sedis praescripta de clericis et sacerdotibus publicas studiorum Universitates vel Scholas Normales, quas vocant, frequentantibus, firma maneant; praesertim vero ea quae Litteris Secretariae Status diei 20 Novembris 1920 praecipiuntur, adamussim serventur (1).

Confirmantur superiora praescripta.

II. Sacerdotes, etsi magisterii titulum consecuti, adstricti, uti antea, suae quisque dioecesis servitio manent; proprioque Ordinario subiiciuntur.

Subiecto proprio Ordinario.

III. Curent Ordinarii ut hi sacerdotes docendi munus obeant in sua dioecesi, praesertim in sacris clericorum Seminariis vel in privatis scholis.

Praefercudae scholae.

IV. Sacerdos, huiusmodi munus atque officium in publicis scholis ne petat neque acceptet sine explicito Ordinarii sui consensu; qui quidem consensus est natura sua revocabilis.

Requisitus consensus Ordinarii propri.

V. Ordinarius, graviter onerata eius conscientia, consensum ne concedat nisi iis qui pietate et doctrina excellunt, quique tum alumnis tum ceteris magistris privatim et publice exemplo sint.

Consensus condiciones ingenere.

VI. Ordinarius permittere poterit ut sacerdos dioecesanus in aliam dioecesim magisterii exercendi causa se conferat, ea tamen lege ut susceptum munus ad nutum tum Ordinarii proprii tum Ordinarii loci retineatur. Itaque Ordinario in dioecesis servitium illum revocanti et Ordinario loci illum dimittenti, quocumque praetextu remoto, sacerdos parere tenetur.

Si docendum est in alia dioecesi.

VII. Ordinarius ne sinat ut Sacerdos suae dioecesis in alia dioecesi magisterium ineat, nisi prius de re loci Ordinarium monuerit eiusdemque veniam obtinuerit.

VIII. Sacerdos in aliena dioecesi magisterium initurus sine mora loci Ordinarium adeat, quem, iuxta can. 94 Codicis iuris canonici, ut Ordinarium suum, usquedum eo in loco commorabitur, habere, eiusque vigilantiae auctoritati et correctioni se submittere debet.

Respectus Ordinarii loci.

---

(1) Litterae istae, quarum dies non est 20 sed 18 novembris, non fuere publici iuris effectae, sed in archivis S. Congr. et Curiarum servabantur. Quare eas divulgare non essemus ausi, nisi nunc prodiissent in *Monitore Ecclesiastico* 1927 p. 74. Quod cum supponamus factum cum debita licentia, ex diplomate officiali, infra, loco suo, sub titulo *Secretaria Status*, litteras istas exscripsimus et insernimus.

IX. Ordinarius vero loci poterit:

Iura Ordinarii loci.

a) praecipere, iusta de causa, arbitrio et prudentia eius aestimanda, ut sacerdos alicui ecclesiae sit addictus;

b) statuere ut idem sacerdos peculiari vigilantiae Vicarii foranei vel parochi aliusve sacerdotis subsit;

c) exigere ut sacerdos referat in qua domo habitualiter commoretur et quibuscum personis cohabitet; vetare ne mulieres, de quibus suspicio esse possit, apud se retineat et quoquo modo frequentet; iubere, si id necessarium aut opportunum Ordinarius iudicaverit, ut penes aliquam religiosorum sodalium domum a se designandam degat;

d) vetare ne docendi munus in scholis, quas vel solae puellae vel puellae simul et adolescentes celebrant, suscipiat; neve puellas privatim doceat atque instituat;

e) praecipere ut omnes et singulas obligationes communes clericorum servet; praesertim vero, ut collationibus seu conferentiis ad casus de re morali ac liturgica solvendos intersit; ut adiuvet parochum loci in religiosa puerorum institutione; ut diebus festis de praecepto brevem Evangelii aut alicuius doctrinae christianae capitis explanationem habeat in Missa quam, fidelibus adstantibus, celebrat;

f) monere, corripere et, si casus ferat, congruis poenis, ad normam sacrorum canonum, sacerdotem afficere, si a recto tramite deflexerit.

Relatio ad Ordinarium sacerdotis facienda.

X. Ordinarius loci, cuiusque anni scholastici expleto cursu, Ordinarium sacerdotis certiorem faciat de eiusdem vita et moribus.

Quid si abfuturus vel discessurus sit. Quid, redux in dioecesim.

XI. Sacerdos magister e loco per notabile tempus discessurus Ordinarium eiusdem loci commonefaciat; ferias vero aestivas initurus suum eidem obsequium praestet; in dioecesim vero reversus, se sistat Ordinario suo eiusque mandatis fideliter obediat.

Abrogatio contrariorum.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (22 feb. 1927).

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis Concilii, die 22 Februarii 1927.

D. Card. SBARRETTI, *Praefectus.*

L. ✠ S. † *Iulius, Ep. tit. Lampsacen., Secretarius.*

ANNOTATIONES

I. De ipso Decreti obiecto, in primis dicendum est quid hoc loco veniat nomine *publicae* scholae. Et satis facile constat, maxime si attendas art. I. et III, agi in praesenti, non de omnibus scholis quae hac

ratione publicae dici possint quod multis alumnis diversarum familiarum pateant, sed de iis scholis quae publica potestatis civilis auctoritate, sive haec municipalis fuerit sive nationalis, constitutae sunt et reguntur : ibi plura obstare possunt quominus sacerdotes in iis munus magistri assumere sinantur.

II. Hic autem ordo statui potest praescriptionum seu declarationum istius Decreti. Postquam, I. quasi in antecessum confirmantur decreta superiora de clericis et sacerdotibus qui publicas Universitates vel scholas Normales frequentant, et quae intacta manent quamvis non nulli sacerdotes ibi magistri munus obeant, II. principium generale ponitur unde pleraque praescripta prono alveo fluunt; dein, III. ad VII. describitur condicio docentis respectu proprii Ordinarii ; tum, VIII et IX definitur quomodo se habeat ad Ordinarium loci ubi lectione dat. Numero X. ipsi loci Ordinario onus imponitur annuae relationis ad Ordinarium proprium sacerdotis ; demum, n. XI. aliquid statuitur de absentia, discessu et reditu magistri in propriam dioecesim.

III. Ad I. Iam pluries, non unus Pontifex sollicitudinem suam de clericis Universitates frequentantibus explicarunt. Memorandum in primis est Decretum *S. C. Consistorialis,* 30 april. 1918 (*A. A. S.*. X, 237 vel *Per.,* IX, 119) in quo etiam recensentur acta, in hac causa Leonis XIII, et Pii X. Observandae praeterea dicuntur litterae *Secretariae Status* 18 nov. 1920, quae reperientur infra :

IV. Ad II. Enuntiatur hoc loco principium manefestissimum : sacerdotis statum seu iuridicam condicionem minime eo mutari quod titulum magistri sit consecutus.

V. Ad III. Quia tamen isto titulo insigniti magis idonei docendis litteris vel scientiis praesumuntur, et etiam ratio boni communis postulat ut e suis quaeque

sacerdotibus dioecesis in primis utilitatem capiat, S. Sedes curandum edicit ab Ordinariis ut sacerdotes isti munus docendi assumant in sua dioecesi, et sacra clericorum seminaria et privatas scholas (plerumque catholicas) potius quam publicas scholas sua doctrina adiuvent.

VI. Ad IV-VII. De subordinatione proprio Ordinario, haec statuuntur: — *a*) Consensus explicitus et revocabilis proprii Ordinarii impetrandus est, non solum antequam munus acceptetur (nam post acceptationem causa iam non integra esse solet) sed antequam a sacerdote petatur; — *b*) consensus iste dandus non est nisi iis sacerdotibus qui tum pietate, tum doctrina, tum tenore vitae et actione utilem ad maiorem Dei Gloriam operam navaturi praevidentur; — *c*) licentia facta docendi extra dioecesim est ad nutum utriusque Ordinarii, nec concedenda est antequam Ordinarius loci veniam dederit.

VII. Ad VIII et IX. Cum sacerdos qui magistri munus obit in aliena dioecesi, necessario ibi saltem quasi-domicilium acquirat, liquet Ordinarium loci fieri eius proprium, vi c. 94, quo quis tum ratione domicilii tum ratione quasi-domicilii proprium Ordinarium et parochum sortiri perhibetur. Quare Ordinarium istum sine mora adire iubetur.

Ordinarius autem loci, plura, sive e iure communi sive vi praesentis decreti de ipso statuere potest. Et quidem, vi praesentis decreti, potest sacerdotem istum praeceptive alicui ecclesiae addicere; — peculiari vigilantiae fidi sacerdotis obnoxium facere; — eidem assignare religiosam domum in qua degat; — iubere ut non solum communes servet clericorum obligationes, sed etiam ut parochum in religiosa puerorum vel populi institutione adiuvet.

Et quia haec omnia pars sunt administrationis dioecesanae, nullus alius recursus contra huiusmodi actus datur nisi ad S. Congregationem (Cf. resp. Prae-

sidis S. Commiss. interpretando Codici, 22 maii, 1923 (*A. A. S.*, XVI (1924), 251 vel *Per.*, XII, 121).

Plura autem alia ex ipso iure communi Ordinario competere facile demonstratur.

Commodum igitur istius catalogi in hoc est, ut plura dubia dissolvat, ut plures controversias amputet, et Ordinario expeditam sinat esse actionem ad commune dioecesis bonum.

VIII. Ad X. Ex isto n. X Ordinarius loci proprium sacerdotis Ordinarium singulis annis certiorem facere iubetur de eiusdem vita et moribus. Ita copia fit proprio Ordinario, ut tamquam bonus Pastor sollicitudinem suam de proprio sacerdote exerceat, eumque tempestive a periculoso loco removeat.

Opportune autem tempus faciendae relationis statuitur finis anni scholastici, quo tempore facilius magistri locum mutant.

IX. Ad XI. Sacerdos magister ipsum loci Ordinarium certiorem facere debet de discessu per notabile tempus (v. g. ultra mensem); ipsum adire debet, obsequium praestiturus dum ferias aestivas initurus est. Demun, in dioecesim reversus, Ordinario suo se sistere iubetur ut eius mandatis fideliter abtemperet.

X. Clausula quae quibuslibet contrariis derogat, omnes exceptiones contra decretum praecluduntur.

7. — S. C. Concilii

Responsa 15 mart. 1927.

PROHIBITIO ACTIONIS POLITICAE CLERICIS FACTA
(A. A. S., 1 ap. 1927, XIX, 138)

Romana et aliarum. Dubia.

Quaestiones

Quaesitum est ab hac Sacra Congregatione ut solverentur dubia quae sequuntur:

De iure prohibendi.

« I. Utrum Ordinario ius sit et officium interdicendi per praeceptum actionem politicam viris ecclesiasticis, qui in ea explicanda non se conforment instructionibus S. Sedis? »

Et quatenus *affirmative :*

De poenis ferendis.

« II. An qui praeceptum violaverint et moniti non se emendaverint, congrua poena puniri possint et debeant ad normam sacrorum canonum ? »

Dies comitiorum (26 feb.).

Iamvero E.mi Patres eiusdem Sacrae Congregationis, in plenariis comitiis die 26 Februarii huius anni habitis, responderunt :

Responsum. Confirmatio Pontificis, 15 mart.

Affirmative ad utrumque.

Porro SS. D. N. Pius divina Providentia PP. XI in audientia diei 15 Martii insequentis resolutionem E.morum Patrum dignatus est approbare et confirmare, eandemque publici iuris fieri mandavit.

D. Card. SBARRETTI, *Praefectus.*

L. ✠ S. † IULIUS, Ep. tit. Lampsacen., *Secretarius.*

ANNOTATIONES.

I. In canone 139 § 1, quo clerici vitare iubentur ea etiam qua, quamvis non indecora, a clericali tamen statu sunt aliena ; et in § 4, quae vetat ne sine S. Sedis vel Ordinariorum (pro casu) venia munus Senatorum vel deputatorum sollicitent vel acceptent, manifestum habetur fundamentum, cur omnis politica actio clericorum Ordinariis subiecta demonstretur.

II. Actio ista positiva maxime est ea quae publica est per orationes, scripta, congressus ; potest etiam esse simplex participatio in scrutiniis politicis.

III. Instructiones S. Sedis ipsam actionem vel eius modum afficere possunt ; possunt praecipere abstentionem et participationem.

IV. Praeceptum esse potest singulare vel etiam commune. Itaque poterit Ordinarius stricte vetare clericos ne parti quam S. Sedes reprobat etiam per suffragia faveant.

V. Cum in non una regione clerici, studio cuiuspiam nationalismi, praeceptis Ordinariorum se subducere attentent, praesens resolutio non modicam utilitatem pluribus Antistibus allatura videtur.

8. — S. C. De Religiosis

Responsum 25 mart. 1927

DE CONSECRATIONE VIRGINUM IN SAECULO

(A. A. S., 1 ap. 1927, XIX, 140)

Resolutionis occasio. Cum nonnulli locorum Antistites petiissent facultatem benedicendi et consecrationem Virginum conferendi foeminis absque votis religiosis in saeculo degentibus, iuxta ritum in Pontificali Romano descriptum, Sacra Congregatio de Religiosis, exquisito voto plurium Rev.morum Consultorum, rem definiendam E.mis Patribus proposuit, qui, in plenario Coetu ad Vaticanum habito die 25 Februarii 1927, re mature perpensa, dubio: « An expediat concedere facultatem dandi benedictionem et consecrationem Virginum mulieribus in saeculo viventibus » responderunt: « *Negative* et nihil innovetur ».

Resolutio.

Approbatio Pontificis Facta autem relatione SS.mo Domino Nostro Pio divina Providentia Papa XI, in audientia habita ab infrascripto Secretario, die 1 Martii eiusdem anni, Sanctitas Sua resolutionem E.morum Patrum approbare et confirmare dignata est, et publici iuris fieri mandavit.

Data (25 mart., 1927). Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 25 Martii 1927.

C. Card. LAURENTI, *Praefectus.*

L. ✠ S. VINC. LA PUMA *Secretarius.*

ANNOTATIONES

De argumento isto plura dici possunt, notatu digna. In praesenti autem nobis satis erit afferre rationes quae responsum manifesto fundant.

Virgines quibus pulcherrimae caerimoniae Pontificalis scriptae sunt, publicam virginitatis professionem faciebant. *Publicam,* seu quae nomine Ecclesiae acceptatur. Iam vero a praesenti disciplina alienum est, ut publica fiat professio sine vita communi (c. 487), si excipias votum castitatis clericorum qui in ordinibus sacris sunt constituti. Praeterea, legenti Pontificale satis apparet virgines quae consecrantur degere in monasterio.

Quare S. Congregatio sapienter suum *Negative* confirmavit verbis: *et nihil innovetur.*

9. — S. C. Rituum

Rescriptum 14 ap. 1926

DE INSTITUENDA DIE MISSIONALI
(A. A. S., 15 ian. 1927, XIX, 23)

Beatissimo Padre (1),

Consilium Supremum Operis Prop. Fidei, memorata apostolica Pontificis sollicitudine.

Il Consiglio Superiore Generale della Pontificia Opera della Propagazione della Fede, riunito per l'annuale Assemblea plenaria, dopo che a Dio, ha rivolto mente e cuore a Vostra Santità, che con apostolica sollecitudine promuove le Missioni cattoliche. Voi, Padre Santo, camminando sulle orme del Pastore Divino, volete che tutte le pecorelle entrino nell'unico ovile per saziarsi negli ubertosi pascoli della verità. Le Vostre cure danno ogni giorno maggior impulso alle Opere missionarie che mirano ad interessare tutti i fedeli per la conversione degli infedeli.

et epist encyclica Rerum Ecclesiae.

La venerata Lettera Enciclica « Rerum Ecclesiae », che avete indirizzato ultimamente al mondo cattolico, ha recato a tutti i figli Vostri, Beatissimo Padre, grande giubilo ed ha ridestato propositi efficaci. Essa contribuirà largamente alla dilatazione del regno di Dio e procurerà nuovi successi per aprire la via a più segnalati trionfi della Chiesa e della civiltà cristiana.

Ex studiis in opus suum demonstratis mo-

E poichè la Santità Vostra, mentre inculca innanzi tutto la preghiera privata e pubblica in favore delle sante Missioni

---

(1) *Beatissime Pater,*

Consilium generale supremum Pontificii Operis Propagationis Fidei, in annuo suo conventu plenario, post Deum mentem et cor convertit ad Sanctitatem Vestram quae Missiones catholicas apostolica sollicitudine promovet. Tu, Sancte Pater, vestigiis insistens Pastoris divini, vis ut oves omnes intrent in unicum ovile ut uberibus pascuis veritatis satientur. Curae Vestrae in dies maiore impulsione provehunt opera missionalia quae huc spectant ut omnes fideles de infidelium conversione sint solliciti.

Veneranda epistola encyclica « *Rerum Ecclesiae* », quam recens orbi catholico misisti, omnibus filiis Tuis, Beatissime Pater, causa fuit magnae iubilationis et efficacium propositorum. Valde contribuet dilatando regno Dei, novosque successus adducet ad viam aperiendam magis conspicuis triumphis Ecclesiae et christiani cultus.

Et quoniam Sanctitas Vestra, dum omnium primo inculcat orationem privatam et publicam pro Sanctis Missionibus et suadet ut per zelum pastorum

vetur ad ipsum ampliandum.

e raccomanda che, per lo zelo dei pastori « il popolo cristiano venga in soccorso con una liberalità pari alle molteplici necessità delle Missioni presenti e di quelle che si aggiungeranno in futuro », ricorda anche questa Pontificia Opera della Propagazione della Fede che chiama « principale tra tutte le Opere missionarie », così il Consiglio Superiore Generale della medesima Opera è particolarmente sensibile per le sollecitudini manifestate verso di essa e si propone di darle uno sviluppo sempre più rispondente alle sue finalità ed ai Vostri Augusti desideri.

Votum Consilii Supremi.

Ora il Consiglio Superiore ritiene che non piccolo vantaggio deriverebbe alle Missioni, se venisse stabilita « una giornata di preghiere e di propaganda per le Missioni » da celebrarsi in uno stesso giorno in tutte le diocesi, le parrocchie e gli Istituti del mondo cattolico. Essa farebbe comprendere la grandiosità del problema missionario; ecciterebbe lo zelo del clero e del popolo; darebbe occasione propizia a far sempre meglio conoscere l'Opera della Propagazione della Fede, a promuoverne le iscrizioni e a sollecitare l'obolo per le Missioni; ma sopratutto, a guisa di santa crociata, farebbe dolce violenza sul Cuore Sacratissimo di Gesù per ottenere che si affretti il riconoscimento universale della sua divina regalità.

et Consiliorum nationalium.

Tale sentimento, Padre Santo, è condiviso anche dai vari Consigli Nazionali dell'Opera e da numerose ed insigni personalità del clero e del laicato cattolico.

Perciò il Consiglio Superiore Generale fa umile istanza a

« populus chistianus iisdem opituletur ea liberali manu quae adaequet multimodas necessitates Missionum presentium et illarum quae in futurum iis addentur » etiam memorat hoc Pontificium Opus Propagandae Fidei quod « inter omnia Opera missionalia principale » vocat, inde Generale eiusdem Operis consilium supremum peculiariter afficitur isto studio in opus demonstrato, atque eidem dare proponit ampliationem quae usque magis ad eius metas et ad Vestra Augusta desideria conveniat.

Iam vero Consilium Supremum persuasum habet non modicam utilitatem Missionibus obventuram esse ex institutione « diei addictae precibus et actioni pro missionibus » quae per orbem catholicum in omnibus dioecesibus, paroeciis et Institutis eadem die celebretur. Inde quam magnificum sit problema missionale futurum esse manifestum, zelum cleri et populi excitatum iri, propitiam occasionem datum iri ut Opus Propagationis Fidei usque melius cognoscatur, ut subscriptiones multiplicentur, ut stipes pro Missionibus quaesitentur; sed maxime, instar sanctae « Cruciatae », dulcem vim Sacratissimo Cordi Iesu illatum iri, ad obtinendum ut universalis agnitio divini Eius principatus maturetur.

Idem, Sancte Pater, sentiunt varia Operis Consilia Nationalia et multi atque insignes clerici et laici.

Quocirca Consilium Supremum Generale humiliter supplicatur Sanctitati

Vostra Santità, perchè si degni prescrivere tale *Giornata Missionaria*. Questa giornata missionaria non dovrà in alcun modo pregiudicare le feste missionarie già solite a celebrarsi, nè impedire le collette prescritte. *Preces porrectae.*

In concreto il Consiglio Superiore Generale umilmente supplica:

1) che venga fissata una Domenica, segnatamente la penultima di Ottobre, come *Giornata di Preghiere e di propaganda missionaria* in tutto il mondo cattolico;

2) che in detta Domenica in tutte le Messe si aggiunga come Colletta imperata *pro re gravi* l'orazione *Pro Propagatione Fidei;*

3) che la predicazione in tale Domenica sia di carattere missionario con particolare riflesso all'Opera della Propagazione della Fede, eccitando i fedeli ad iscriversi all'Opera medesima: non intendendosi peraltro limitare necessariamente la predicazione alle sole Missioni;

4) che si conceda l'Indulgenza Plenaria, applicabile ai Defunti, a quanti in tale Domenica si comunicheranno e pregheranno per la conversione degli infedeli;

5) Il Consiglio Superiore Generale inoltre umilmente domanda che in occasione di Feste e Congressi Missionarii si possa celebrare la Messa votiva solenne *Pro Propagatione Fidei,* anche nei giorni di rito doppio maggiore e nelle Domeniche minori.

Che, ecc.

Vestrae ut huiusmodi *Dies Missionalis* ab Ipsa imperetur. Quae dies missionalis nullum praeiudicium afferre debet festis missionalibus iam fieri solitis neque praescriptis collectis esse impedimento.

Consilium Supremum Generale humiliter id praecise rogat:

1) ut Dominica indicetur, et quidem paenultima Octobris, tamquam *dies precum et actionis pro missionibus*, in toto Orbe catholico;

2) ut ista Dominica, omnibus Missis subiungatur tamquam imperata *pro re gravi* oratio *Pro Propagatione Fidei;*

3) ut in illa Dominica contiones sint generis missionalis, cum speciali respectu Operis de Propaganda Fide, et fideles excitentur ut nomen ei dent: non haec tamen mens est ut solum Missionum argumentum in contionibus agatur;

4) ut Indulgentia plenaria, Defunctis applicabilis, concedatur quotquot in illa Dominica sacra dape reficiantur et orent pro infidelium conversione;

5) Consilium Supremum Generale praeterea humiliter rogat ut per occasionem Festorum et Congressuum Missionalium, Missa votiva sollemnis *Pro Propagatione Fidei* celebrari possit etiam in diebus ritus duplicis maioris et Dominicis minoribus. Et Deus, etc.

ROMANA

Responsum S. Pontificis.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XI his votis et precibus sibi porrectis clementer indulgens, eadem postulata probare et exaudire dignatus est; simulque prudenti iudicio Ordinariorum per praesens rescriptum huius Sacrae Congregationis Rituum exsequenda mandavit: servatis tamen Rubricis aliisque de iure servandis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Dies (14 apr. 1926).

Die XIV Aprilis MDCCCCXXVI.

✠ A. Card. VICO, *Ep. Portuensis et S. Rufinae, Praefectus.*
L. ✠ S.

ANGELUS MARIANI, *S. R. C. Secretarius.*

ANNOTATIONES.

I. Cum publicae istae litterae nullam mentionem contineant audientiae SS. in qua mandatum S. Pontificis datum fuerit, non ordinaria forma rescriptum praesens confectum est.

Esse tamen verum rescriptum *S. R. C.*, demonstratur tum praeposito titulo « *S. R. C. Rescriptum de...* » tum subscriptis nominibus Em. Praefecti et Ill. Secretarii.

II. Quaeret quispiam: Nonne per verba « prudenti iudicio Ordinariorum exsequenda mandavit » S. Pontifex rem denique tandem prudenti consilio Ordinariorum permisit?

Resp. Rem non esse in arbitrio Ordinariorum positam. Si enim definitionem Ordinariis commisisset, non potuisset immediate antea dici postulata esse a Sanctissimo Domino probata et exaudita. Itaque de solo modo exsecutionis, ceterum necessariae, Ordinarii prudenter deliberare debent. Ut aliis utamur verbis: paenultima Dominica Octobris debet addici precibus et actioni pro missionibus; oratio pro propagatione Fidei est illa die, *per universum Orbem,* imperata

tamquam pro re gravi; sacrae contiones argumentum missionum cum peculiari respectu Operis Propagandae Fidei attingere debent; indulgentia plenaria prostat lucranda; concessa quoque est per occasionem festorum vel congressuum Missionalium Missa votiva sollemnis pro propagatione Fidei; sed ad antistites spectat haec omnia prudenter ordinare, v. g. designando ecclesias in quibus contiones faciendae sint.

III. Potestne sententia « simulque... mandavit » ita legi ut exsecutio gratiarum censeatur fieri « per praesens rescriptum » ?

Resp. ita legi non posse, tum quia tunc exsecutio non iam committeretur Ordinariis; tum quia rescriptum exsecutionem nullatenus ordinat. Sic igitur intellegenda est: « Per praesens rescriptum mandavit exsequenda prudenti iudicio Ordinariorum ».

IV. Cum, accedente mandato aut consensu Ordinarii, Missa votiva sollemnis permittatur, iure communi in Dominicis et in Festis etiam secundae classis, quid hic speciale postulatur vel impetratur?

Resp. Id impetratum esse ut, modo generali, ipse S. Pontifex concedat pro omnibus Orbis ecclesiis quod singuli Antistites pro suis quisque ecclesiis tantum specialiter permittere potuissent; utque generali suo indulto S. Pontifex amputet scrupulos Ordinariorum qui dubitarent fortasse de publica causae gravitate et de sufficienti populi concursu. Ordinarii enim Missam votivam sollemnem praecipere aut permittere non possunt nisi pro gravi simul et publica causa, et concurrente populo.

V. Quaenam vis inest in clausula: « servatis tamen rubricis ».

Haec vis, ni fallimur, ut oratio pro Propagatione Fidei non inseratur Missae nisi iis diebus quibus permittitur collecta *pro re gravi,* exclusis proin festis I classis, Dominica Palmarum, et vigilia Natalis Do-

mini et Pentecostes; — dein ut Missa sollemnis canatur ritu pro ea missa praescripto, ac proin cum commemoratione festi duplicis classis, Dominicae, Feriae maioris, feriae secundae Rogationum, vigiliae vel octavae privilegiatae. Cf. nostram *Theologiam moralem,* III, 332, de orationibus imperatis.

VI. Observes, ut Missa votiva sollemnis pro Propagatione Fidei, ex praesenti rescripto celebrari queat, non est opus ut *simul* habeatur Festum et Congressus Missionum, sed alterutrum, sive festiva celebratio missionum, sive Congressus Missionalis sufficiens est.

Quae festiva celebratio non requiritur iam sacra: satis est ut, invitato populo, panegyricis, orationibus, cantibus, quaestuatione, Missiones honestentur.

Iam anno 1922, postulante Comitatu de festis saecularibus *S. C. de Prop. Fide,* rescripto *S. R. C.* indultum est ut Missa votiva de Propagatione Fidei, cum *Gloria* et *Credo* celebrari possit semel in anno, diebus ab Ordinario cuiusque loci designandis, his exclusis qui nunc etiam excipiuntur in Congressibus vel Festis Missionalibus. Cf. *Per.*, XI, 53 et 196.

10. — S. C. Rituum

Rescriptum 18 feb. 1927

DE PRAELATIONE FESTI SS. CORDIS IN LUSITANIA

(A. A. S., 1 ap. 1927, XIX, 155)

DUBIA

Orator. Hodiernus Ecclesiae Cathedralis Conimbricen. Archidiaconus, cum consensu sui Rev.mi Episcopi, Sacrae Rituum Congregationi humillime exposuit quae sequuntur:

Memorato Summus Pontifex Pius Papa VI die 31 Maii 1772 (1) per

(1) Sic, sed lege 1778.

peculiari iudulto Lusitaniae.

Sacram Rituum Congregationem indulsit, ut Festum Sacratissimi Cordis Iesu in toto Lusitaniae regno celebretur sub ritu duplici I classis sine Octava, etiamsi occurat Festum S. Antonii Lusitani Confessoris, Patroni principalis; die vero 5 Augusti eiusdem anni Sanctitas Sua per ipsam Congregationem ex speciali gratia concessit, ut praedictum Festum Sacratissimi Cordis Iesu in omnibus regnis, civitatibus et locis Regibus Lusitaniae subiectis, celebretur in posterum sub ritu primae classis sine octava, proindeque non omittatur, etiamsi eadem die aliud ex solemnioribus Festis occurrat.

Hinc quaeritur:

Quaerit. De ordine Festi respectu festi 1 cl. univ. SS. Cordis Eccl.

I. An Festum Sacratissimi Cordis Iesu, quod, attento speciali privilegio, in Lusitania est per accidens primarium (*S. R. C.* 10 Maii 1895, n. 3855 ad V), ibidem tam in occurrentia quam in concurrentia cedere debeat festis duplicibus I classis primariis universalis Ecclesiae, ex. gr. festo Nativitatis S. Ioannis Baptistae, iuxta novas Breviarii Romani Rubricas, tit. 11 (1), n. 1?

Respectu festi particularis.

II. An idem Festum Sacratissimi Cordis Iesu in Lusitania tam in occurrentia quam in concurrentia praeferendum sit cuilibet Festo particulari, ex. gr. Festo principalis Patroni loci?

Responsum.

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus perpensis rescribendum censuit: « Affirmative ad utrumque », atque ita rescripsit ac declaravit. Die 18 Februarii 1927.

Dies (18 feb. 1927).

✠ A. Card. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S. ANGELUS MARIANI, *Secretarius.*

ANNOTATIONES.

I. Memoranda in primis sunt privilegia quae Lusitaniae concessa sunt. Die 31 maii 1778, PIUS Pp. VI indulsit ut in regno Lusitaniae et Algarbiorum, si festum SS. Cordis Iesu concurreret cum festo S. Antonii Lusitaniae patroni principalis, celebraretur sub ritu dupl. 1 cl. sine octava; — die autem 5 aug. eiusdem anni, « ex speciali gratia concessit ut praedictum Festum SS. Cordis Iesu in omnibus regnis, civitatibus et locis ei (reginae Portugalliae) subiectis, celebretur in pos-

(1) Sic. sed lege tit. II.

terum sub ritu dupl. 1 cl. sine Octava, proin deque non omittatur, etiamsi eadem die aliud ex sollemnioribus Festis occurrat ».

Denique die 7 iul. 1779, Pius VI, Brevi *Alias Nos*, statuit ut in regnis Portugalliae et Algarbiorum festum SS. Cordis Iesu celebraretur cum vigilia et ieiunio, et fieret festum de praecepto (*Bullarii Romani* continuatio, Tom. VI, Const. 212).

Quare, etiam non ita pridem, 10 maii 1895, ad V. (*Decr. auth.*, n. 3855) *S. R. C.* declaravit festum SS. Cordis Iesu esse, attento speciali privilegio, per accidens primarium in regno Lusitaniae.

II. **Ordo praestantiae Festorum,** attentis rubricis generalibus Breviarii et additionibus et variationibus ad normam Bullae *Divino Afflatu*, 1 nov. 1911 (quae omnia reperiuntur initio partis hiemalis Breviarii), is observandus statuitur.

1. Festa *duplicia 1 classis primaria Universalis Ecclesiae* quae praeferuntur cuilibet Festo particulari;

2. « Festa *Dedicationis* et *Tituli Ecclesiae* propriae et *Patroni principalis* loci, necnon *Tituli* et *S. Fundatoris Ordinis* seu *Congregationis* » quae « cedunt tantummodo praedictis Duplicibus I. classis universalis Ecclesiae » (*Addit. et variat.* Tit. II, 1);

3. Festa *ritus altioris,* nisi occurrat Dominica vel aliqua ex Feriis, Vigiliis aut Octavis privilegiatis, iuxta rubricas »;

4. Festa *maioris sollemnitatis;*

5. Festa *primaria;*

6. Festa *dignioris obiecti* seu *personae;*

7. Festa *magis propria.*

III. Iam vero, interrogata de relativa praestantia Festi SS. Cordis Iesu in Lusitania, *S. Rituum Congr.* declaravit in Lusitania festum SS. Cordis Iesu cedere debere festis duplicibus I. classis primariis universalis

Ecclesiae, praeferendum vero esse cuilibet Festo particulari, etiam festo principalis Patroni loci.

Quae responsio huic difficultati obicitur. Vel ad normas communes, vel ad privilegium peculiare Lusitaniae responsum aptatum est.

Si ad *normas communes,* Festum SS. Cordis Iesu, quamvis per accidens primarium in Lusitania, etiam festo Patroni principalis cedere debet, cum, secundum istas normas, festum Patroni principalis non cedat nisi Duplicibus I classis universalis Ecclesiae (Cf. n. II).

Si autem attendendum fuit ad peculiare Lusitaniae privilegium, etiam praestantius dicendum est festo primario universalis Ecclesiae, quale est festum S. Ioannis Baptistae.

Ac re quidem vera, *S. R. C.,* 3 april. 1821 *(Gardellini,* n. 4579 ad 4*)* censuit, in locis in quibus Officium S. Cordis Iesu singularissimo privilegio gaudet exclusivo quoad alia omnia festa sollemniora aequalis ritus, sine ulla expressa limitatione, *transferenda* esse alia *quaelibet* Festa sollemniora quae simul occurrant.

GARDELLINI autem, ad hoc decretum, observat istud singulare privilegium haberi in Lusitania. Et n. I dedimus litteras publicas quibus istud demonstratur.

IV. Restat igitur ut in responso S. Congregationis non meram declarationem agnoscamus, sed etiam decretum quo « rescribendum censuit », privilegium Lusitaniae ita temperandum esse ut de solis festis particularibus vigere pergat.

In *Ephemerides Liturgicae,* ian-feb. 1927, p. 19 Nota, R. P. BATTISTINI, Cong. Miss. eandem pro Lusitania tradit normam quae praesenti responso promulgata est. Verum nescimus utrum haec propria investigatione an ex lecto C. S. Rituum decreto scripserit.

11. — S. Poenitentiaria Apostolica

Responsa 8 mart. 1927

DE PARTICIPANTIBUS « ACTION FRANÇAISE » VEL EI FAVENTIBUS
(A. A. S., 1 ap. 1927, XIX, 157)

DUBIA

Orator. Quaesita.

I De iis qui varia ratione favent « Action Française ».

Ab Episcopo N. N. propositae sunt Sanctae Sedi pro opportuna solutione sequentes quaestiones:

« I. — Quelle attitude (1) prendre au for interne et au for externe vis-à-vis d'ecclésiastiques:

1) qui notoirement demeurent partisans, ou ligueurs, ou lecteurs (par abonnement) de l'*Action Française?*

2) qui encouragent par des consultations théologiques ou simplement en paroles, dans la conversation, les fidèles à lire l'*Action Française* ou à la soutenir par des offrandes d'argent?

3) qui absolvent sans condition de bon propos et continuent d'absoudre des lecteurs d'*Action Française* ou des chefs ligueurs d'Action Française? »

II. De Seminaristis.

« II. — Quelle conduite l'Évêque ou les Supérieurs de Séminaires devront-ils avoir vis-à-vis des Séminaristes demeurant attachés à l'Action Française ostensiblement ou en secret? »

III. De habitualiter legentibus A. F. vel de promoventibus ephemeridem aut partes A. F. et ae subministrantibus ei pecunias.

« III. — Quelle conduite tenir au for interne et au for externe vis-à-vis des fidèles:

1) qui lisent habituellement l'*Action Française,* ou y restent abonnés malgré les avis contraires qu'ils reçoivent?

2) qui, en tant que ligueurs, mènent le mouvement en faveur du journal l'*Action Française,* des doctrines fausses d'Ac-

(1) « I. Quomodo in foro interno et externo nos habere debemus adversus ecclesasticos:

1) Qui notorie fautores, socii vel lectores (subscripto nomine) *Action Française* esse pergunt?

2) Qui consultationibus theologicis vel mere verbis in colloquiis animos addunt ad fideles ut *Action Française* legant vel oblatis pecuniis adiuvent?

3) Qui non postulato firmo proposito absolvunt vel absolvere pergunt lectores *Action Française,* vel capita factionis *Action Française?*

« II. Quid agendum est Episcopo vel Superioribus Seminariorum adversus Seminaristas hui palam vel occulto propensi manent erga *Action Francoise?* »

« III. Quid in foro interno et externo agere debemus cum fidelibus:

1) qui *Action Française* habitualiter legunt, vel, neglectis oppositis consiliis, eum subscripto nomine emere pergunt;

2) qui, utpote socii factionis, agmen ducunt pro epheemride l'*Action*

tion Française ou en faveur des dirigeants d'Action Française, qu'ils s'obstinent à conserver pour leurs chefs ?

3) qui continuent de subventionner avec ostentation ou en secret l'*A. F.?* »

« IV. — 1) Ces lecteurs, lingueurs, propagandistes d'A. F., s'ils sont notoirement connus comme tels, peuvent-ils être admis aux Sacrements, particulièrement à la Sainte Table ? *IV De participatione Sacramentorum.*

2) Les mêmes peuvent-ils être admis, ou tolérés, dans nos groupements catholiques: tels les groupements de la Fédération Nationale Catholique (Castelnau), de la Jeunesse Catholique, des Scouts catholiques ? » *pel partium catholicarum.*

Sacra Poenitentiaria Apostolica, de mandato SS.mi D.ni Nostri Pii Papae XI, mature perpensis quaestionibus a praefato Episcopo propositis, respondet uti sequitur: *Responsa*

Ad primum quaesitum

Pro foro interno. — Monendi omnes graviter tanquam certis ac manifestis Supremae Auctoritatis Ecclesiasticae in re gravi mandatis ac praescriptionibus (non interest occultene an publice) renitentes; neque absolvendi nisi et postquam serio resipuerint et scandalum congrue reparaverint. *Ad I pro foro interno.*

Pro foro externo. — Admonendi, ut supra, et corripiendi, ad tramitem canonum 2308 et 2309; et si quidem monitiones et correptiones incassum cesserint, procedendum ad tramitem canonis 2310. Confessarii vero, de quibus n. 3, si moniti non se emendaverint et scandalum poenitenti datum pro posse non reparaverint, suspendi poterunt, donec in propria contumacia perseverent, a sacramentalibus fidelium confessionibus audiendis. *pro foro externo.*

Ad secundum quaesitum

Si moniti non se emendaverint et scandalum, ad superiorum praescriptum, congrue non reparaverint: *Ad. II,*

In foro interno: non absolvantur; *in foro interno.*

In foro externo: ad tramitem canonis 1371, dimittantur tanquam dyscoli et statui ecclesiastico non idonei. *in foro externo.*

Française pro falsis doctrinis *Action Française* vel pro moderatoribus *Action Française* quibus tamquam ducibus adhaerere pergunt ?

3) qui, affectata vel occulta ratione, *A. F.* subsidiis iuvare pergunt ? »

« IV. *1*) Isti lectores, socii propagatores A. F. si qua tales notorie cogniti sunt, possuntne ad sacramenta, praecipue ad s. mensem admitti ?

2) Iidem possuntne in nostros coetus catholicos: ut Foederationis Nationalis catholicae (Castelnau), Iuventutis catholicae, catholicorum « Scouts » cooptari, vel in iisdem tolerari ? »

Ad tertium quaesitum

Ad III, Si moniti de gravitatae inobedientie certis ac manifestis Supremae Auctoritatis Ecclesiasticae in re gravi mandatis ac praescriptionibus subiectionem detrectaverint et scandalum congrue reparare non curaverint;

In foro interno. *In foro interno:* non absolvantur.

In foro externo. *In foro externo:* habeantur ut publici peccatores et tanquam tales ab iis omnibus arceantur a quibus huiusmodi peccatores per sacros canones arcentur.

Ad quartum quaesitum

Ad IV Ad I. — *Negative,* uti consequens responsionis supra datae.

I. Ad II. Nisi antea omnino ac publice se subiecerint ac suae

II. subiectionis sinceritatem serietatemque certis, iudicio Ordinarii, argumentis ostenderint et efficaciter, ipsius Ordinarii iudicio scandalum reparaverint, *Negative.*

Commendatio. Episcopus autem prae oculis habeat praescriptum can. 2214 § 2.

Dies (8 mart. 1927). Datum Romae, ex Sacra Poenitentiaria, die 8 martii 1927.

Fr. ANDREAS Card. FRÜWIRTH, *Poenit. Maior*
I. Teodori, S. P. Secretarius

ANNOTATIONES

Satis nobis esse videtur ut, pro annotationibus, exscribamus canones ad quos responsis istis remittimur.

I. **Ad primum quaesitum.**

1. *Can. 2308* — « Si ex alicuius conversatione scandalum vel' gravis ordinis perturbatio oriantur, est locus correptioni, ab Ordinario per se vel per interpositam personam, etiam per epistolam faciendae, peculiaribus accommodatae conditionibus personae et facti de quo agitur ».

2. *Can. 2309* — « *§ 1.* Tam monitio quam correptio potest esse vel publica vel secreta. — *§ 2.* Correptio vel monitio publica fiat vel coram notario aut duobus testibus, vel per epistolam, ita tamen ut de receptione et tenore epistolae ex aliquo documento constet. — *§ 3.* Correptio publica fieri tantum potest adversus reum de delicto convictum vel confes-

sum ; et est iudicialis, si fiat a iudice pro tribunali sedente vel ab Ordinario ante processum criminalem. — *§ 4.* Correptio iudicialis vel habetur loco poenae vel fit ad augendam poenam, praecipue si agatur de recidivo. — *§ 5.* De monitione et correptione etsi secreto factae fuerint, constare debet ex aliquo documento in secreto archivo Curiae asservando. — *§ 6.* Tam correptio quam monitio fieri potest semel vel pluries, pro Superioris arbitrio et prudentia.

3. *Can. 2310* — Monitionibus et correptionibus incassum factis, vel si ex eisdem effectum sperare non liceat, datur praeceptum, quo quid agere quidve evitare praeventus debeat, accurate indicetur, cum poenae comminatione in casu transgressionis.

II. **Ad secundum quaesitum.**

Can. 1371 — E Seminario dimittantur dyscoli, incorrigibiles, seditiosi, ii qui ob mores atque indolem ad statum ecclesiasticum idonei non videantur ; itemque qui in studiis adeo parum proficiant ut spes non affulgeat eos sufficientem doctrinam fore assecuturos ; praesertim vero statim dimittantur qui forte contra bonos mores aut fidem deliquerint.

III. **Ad quartum quaesitum.**

Can. 2214 § 2 — Prae oculis autem habeatur monitum Conc. Trid. *sess. XIII, De ref. cap. 1 :* « Meminerint Episcopi aliique Ordinarii se pastores non percussores esse, atque ita praeesse sibi subditis oportere, ut non in eis dominentur ; sed illos tanquam filios et fratres diligant elaborentque ut hortando et monendo ab illicitis deterreant, ne, ubi deliquerint, debitis eos poenis coercere cogantur ; quos tamen si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda praeceptio ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia, cum saepe plus erga corrigendos egat benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus

caritas quam potestas; sin autem ob delicti gravitatem virga opus erit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina, populis salutaris ac necessaria, conservetur et qui correcti fuerint, emendentur aut, si resipiscere noluerint, ceteri, salubri in eos animadversionis exemplo, a vitiis deterreantur. »

---

12. — S. Paenitentiaria Apost. (Officium de indulg.)

Rescriptum 18 feb. 1927

INDULGENTIAE SOLLEMNIS DEDICATIONIS GEN. HUM. IN FESTO CHRISTI REGIS

(A. A. S. 1 april. 1927, XIX, 159)

Memorato decreto Pii X de ista consecratione renovanda in festo SS. Cordis Iesu,

Pius PP. X, f. r., die 22 Augusti 1906, decrevit ut die festo SS.mi Cordis Iesu in ecclesiis paroecialibus, itemque in iis ubi idem festum peculiariter celebraretur, annua renovatio dedicationis humani generis SS.mo Cordi Iesu sollemniter perageretur, idest cum recitatione formulae consecrationis et litaniarum eiusdem SS.mi Cordis coram augusto Sacramento publicae adorationi exposito, et pro eadem sollemni dedicatione benigne concessit Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum christifidelibus, qui, saltem contrito corde, piae caerimoniae interessent et ad mentem Summi Pontificis orarent; plenariam vero iis, qui praeterea confessi ad sacram Mensam accederent. Cum autem, ex Litteris Encyclicis *Quas primas,* Ss.mi D. N. Pii PP. XI, sollemnis eiusmodi dedicatio quotannis renovanda sit die festo D. N. Iesu Christi Regis, in Audientia die 4 Februarii 1927 infrascripto Cardinali Poenitentiario Maiori data, placuit eidem SS.mo D. N. decernere, praefatas Indulgentias, a s. m. decessore suo Pio X concessas, eodem die festo acquiri haud aliter quam die festo SS.mi Cordis Iesu, in quo dedicatio adhuc fieri potest ad libitum iuxta Rescriptum Sacrae Rituum Congregationis diei 28 Aprilis 1926, ea tamen lege, ut adhibeatur, in utroque casu, formula ab eadem Sacra Congregatione die 17 Octobris 1925 vulgata. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

et Pii XI, in festo Christi Regis,

declaratio in aud. 4 feb. 1927.

Indulgentiae in utroque die acquiruntur, adhibita formula 17 oct. 1925.

Clausula

Dies (15 feb. 1927).

Datum Romae, in aedibus S. Poenitentiariae, die 15 Februarii 1927.

Fr. ANDREAS Card. FRÜHWIRTH, *Poen. Maior.*

L. ✠ S. *I. Teodori, S. P. Secretarius.*

Annotationes

I. Indulto isto complentur responsa *S. Rit. C.* 28 april. 1926 eo modo quem praesenseramus in *Per.* XV, 165, Annotatio 4. Existimabamus enim cum translata sollemnitate consecrationis transferri indulgentias, sicut translata festi sollemnitate conexae indulgentiae transferuntur; nec perire indulgentias a Pio X concessas die qua ipsa sollemnitas quoque fieri permittebatur. Observes Litanias SS. Cordis adiungendas esse consecrationi.

II. Formula recitanda, quae epistola *S. C. Rituum,* 17 oct. 1925, ad Ordinarios transmissa est, reperitur *Per.,* XIV, 175. Eam hoc loco iterum exscribere iuvabit.

AD SACRATISSIMUM COR IESU
FORMULA CONSECRATIONIS RECITANDA

Iesu dulcissime, Redemptor humani generis, respice nos ad altare tuum humillime provolutos. Tui sumus, tui eese volumus; quo autem Tibi coniuncti firmius esse possimus, en hodie Sacratissimo Cordi Tuo se quisque nostrum sponte dedicat. Te quidem multi novere numquam; Te, spretis mandatis tuis, multi repudiarunt. Miserere utrorumque, benignissime Iesu; atque ad sanctum Cor tuum rape universos. Rex esto, Domine, nec fidelium tantum qui nullo tempore discessere a Te, sed etiam prodigorum filiorum qui Te reliquerunt: fac hos ut domum paternam cito repetant, ne miseria et fame pereant. Rex esto eorum, quos aut opinionum error deceptos habet, aut discordia separatos, eosque ad portum veritatis atque ad unitatem fidei revoca, ut brevi fiat unum ovile et unus pastor. Rex esto eorum omnium, qui in tenebris idololatriae aut Islamismi adhuc versantur, eosque in

lumen regnumque tuum vindicare ne renuas. Respice denique misericordiae oculis illius gentis filios, quae tamdiu populus electus fuit; et sanguis, qui olim super eos invocatus est, nunc in illos quoque, redemptionis vitaeque lavacrum, descendat. Largire, Domine, Ecclesiae tuae securam cum incolumitate libertatem; largire cunctis gentibus tranquillitatem ordinis; perfice, ut utroque ab terrae vertice una resonet vox: Sit laus divino Cordi, per quod nobis parta salus: ipsi gloria et honor in saecula. Amen.

---

13. — S. C. Rituum

Instructio 27 april. 1927

DE MISSIS IN ORATIONE XL HORARUM
(A. A. S., 5 maii 1927, XIX, 192)

Cur haec declaratio.

Ut ea, quae in Clementina Instructione atque in Decretis huius Sacrae Rituum Congregationis iam praescripta fuerant circa Missas tempore Orationis XL Horarum celebrandas, novis Missalis Romani Rubricis omnino respondeant, eadem Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, haec declaranda censuit, nimirum:

Quaenam Missae permittantur.

I. Missa votiva solemnis de Ss.mo Sacramento vel pro Pace permittitur iisdem diebus, quibus Missa votiva solemnis pro re gravi et publica simul causa celebrari potest, iuxta novas Missalis Romani Rubricas, tit. II, n. 3. Diebus autem quibus huiusmodi Missa impediatur, in Missa solemni diei currentis sub unica conclusione cum prima Oratione addatur Commemoratio de Missa votiva impedita; sed Oratio de Ss.mo Sacramento, ob identitatem Mysterii, omittatur in Festis Passionis, Crucis, Ss.mi Redemptoris, Sacratissimi Cordis Iesu et Pretiosissimi Sanguinis, iuxta Decretum n. 3924 ad IV, diei 3 Iulii 1896.

Commemorationes in Missa vot. sollemni;

II. In eadem Missa votiva solemni de Ss.mo Sacramento vel pro Pace, necnon in missa solemni quae illius Missae votivae impeditae locum tenet, fiant tantummodo Commemorationes quae praescribuntur in Missa votiva solemni pro re gravi et publica simul causa, iuxta novas Missalis Romani Rubricas, tit. II, n. 3, et tit. V, nn. 3 et 4.

III. In Missa votiva solemni pro pace et in Missis privatis quae triduo expositionis celebrantur, addatur Collecta de SS.mo Sacramento, etiam occurrentibus Festis solemnioribus universalis Ecclesiae, numquam autem sub unica conclusione cum Oratione Missae sed post Orationes a Rubricis praescriptas; haec tamen Collecta omittatur, si missa vel Commemoratio in Missa occurrens sit de identico Domini Mysterio, et in Missis quae in Commemoratione omnium fidelium defunctorum celebrentur. *in missis privatis et in sollemni pro pace.*

IV. In Missa votiva solemni pro pace, etiamsi extra Dominicam celebretur, symbolum addatur, iuxta novas Missalis Romani Rubricas, tit. VII, n. 3 et Decretum n. 3922, tit. II, § 3, die 30 iunii 1896. *De Symbolo.*

Facta autem Sanctissimo Domino nostro Pio Papae XI, per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum, relatione, Sanctitas Sua praefatam Instructionem circa Missas in Oratione XL Horarum celebrandas adprobavit, eamque adhibendam decrevit, contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 27 Aprilis 1927. *Approbatio SS.* *Dies (27 ap. 1927).*

✠ Card. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
L. ✠ S. *S. R. C. Praefectus.*
Angelus Mariani, Secretarius.

ANNOTATIONES

I. Hactenus, expositio XL Horarum SS. Sacramenti regebatur Instructione quam Card. PROSPERO MAREFOSCHI, tunc Vicarius Urbis, anno 1731, die 1 septembris, ex auctoritate CLEMENTIS Pp. XII promulgavit. Instructio ista stricte non obligabat nisi Urbem; sed laudandi dicebantur qui se ei conformabant (Cf. *Decr. auth.*, n. 2403 et 3332 ad 1. 2. et 3).

Vocabatur *Instructio Clementina*. Legitur in Appendice ad *Decr. authentica* tomo III, *S. C. Rituum*, eique ANT. GARDELLINI scripsit commentaria, quae habentur in T. IV *Decr. auth.* initio.

Instructio ista fere intacta mansit, et, quamvis in non nullis punctis discreparet a communi iure liturgico, observanda erat tamquam legitimum ius speciale.

Iam vero postquam Bulla *Divino afflatu* et recentiora decreta *S. R. C.* novas introduxerunt additiones et variationes, in votis erat multorum ut, quod ad Missas, Instructio ad praesentes normas liturgicas aptaretur. His votis praesens *S. C. Rituum* satisfecit. Iuvabit igitur praesentem Missarum ordinationem cum praescriptis *Instr. Clementinae* comparare.

II. De I. Docemur hic *quandonam Missa sollemnis de SS. Sacramento vel pro Pace permittatur,* et *quid agendum sit diebus quibus impeditur.* Itaque:

1. Missa ista votiva sollemnis iisdem diebus permittitur quibus votiva sollemnis pro re gravi et publica causa. Idest: « singulis diebus, extra Dominicas I classis, vigilias Nativitatis Domini et Pentecostes, Ferias privilegiatas, Duplicia I classis et Commemorationem omnium fidelium defunctorum », et extra diem « in qua fiat officium aut commemoratio, vel occurrat vigilia aut dies infra octavam, quamvis simplicem de identico Domini mysterio ». Identicum autem Domini mysterium occurrit, ut ipsa Instructione monemur, in Festis Passionis, Crucis, SS. Redemptoris, Sacratissimi Cordis Iesu et Pretiosissimi Sanguinis.

Instructio Clementina, § 12, Missam votivam excludebat quoque in Dominicis primae et *secundae classis,* in festis Calendarii universalis vel particularis primae et *secundae classis;* in feriis privilegiatis, *per totas octavas* Paschatis et Pentecostes, immo et Epiphaniae (ut observat GARDELLINI, n. 8, p. 41) in vigiliis Nativitatis Domini et Pontecostes.

Liquet autem, tam olim quam nunc, Missam istam votivam cani non posse in sabbato sancto, cum tunc sola permittatur missa quae coniuncta sit sollemni functioni.

2. Die impedita, in Missa sollemni diei currentis, fit commemoratio de Missa votiva impedita, sub unica conclusione cum prima oratione. Commemoratio tamen

SS. Sacramenti omittitur si Missa dicatur de identico mysterio.

Instructio Clementina eandem habebat dispositionem.

III. De II. Agitur hoc loco *de commemorationibus faciendis in Missa votiva sollemni vel in Missa quae in locum impeditae surrogatur.*

Solae permittuntur commemorationes quae in missa sollemni votiva pro re gravi et publica permittuntur: i. e. de duplici secundae classis, de quavis Dominica, de Feria Maiori, de Rogationibus, de vigilia aut octava privilegiata. Salva tamen manet exceptio quae in additionibus etc. refertur V, 4: ubi plures habeantur missae cantatae vel conventuales, in qualibet de iis non fit commemoratio de aliis.

Instructio Clementina nihil habet de commemorationibus: erant igitur normae communes, tunc vigentes, observandae.

IV. De III, ubi agitur *de commemorationibus in Missa pro Pace et in privatis missis*

Praecipitur addenda collecta de SS. Sacramento, quaecumque festivitas occurrerit, nisi Missa vel commemoratio in Missa occurrens sit de identico Domini Mysterio, vel Missae in Commemoratione omnium fidelium defunctorum celebrentur.

Collecta autem ista numquam sub unica conclusione cum oratione Missae ponitur, sed dicitur post orationes a rubricis praescriptas.

Instructio Clementina plura sinebat esse incerta, v. g. de obligatione collectae de SS. Sacramento, quae nunc sunt clare definita.

V. De IV ubi agitur de symbolo in Missa sollemni pro Pace (quae secunda die celebranda est.

In Missa sollemni pro Pace, etiam si extra Dominicam celebretur, symbolum addendum est. Namque tit. VII, n. 3 imperat recitationem symboli in omnibus

Missis votivis quae pro re gravi et publica causa sollemnitur celebrantur.

Instructio Clementina non admittebat Symbolum nisi in Dominica (GARDELLINI, n. 5 ad § XIII).

VI. **Quaeres,** quando in Missa sollemni quae locum teneat Missae de SS. Sacramenti impeditae alia commemoratio facienda est, debetne tamen sub unica conclusione coniungi (secundum praescriptum I instructionis) cum prima oratione *collecta de SS. Sacramento?*

Id affirmandum putamus, quia praescriptum I est generale, sine ulla addita exceptione.

Instructio Clementina suggerebat eandem conclusionem GARDELLINI, n. 9 ad § XII.

VII. **Quaeres,** quando non Missa pro Pace sed alia Missa pro ea impedita sollemniter celebratur, *estne semper addendum symbolum,* sicut pro Missa pro Pace praescribitur?

Atque id etiam affirmandum arbitramur, quia Missa ista aequiperatur Missae votivae sollemni pro causa gravi et simul publica; in huiusmodi autem Missa semper symbolum addi debet.

VIII. **Quaeres** quaenam *Praefatio* canenda sit!

Resp. Praeferenda semper est praefatio *propria* Missae quae celebratur. Si propriam non habet, sumitur praefatio congruens cum prima commemoratione cui propria Praefatio respondeat. Quare, cum missa Expositionis nequeat, in festo *Omnium Sanctorum* esse de Ss. Sacramento, cuius fit commemoratio sub unica conclusione, Praefatio de SS. Sacramento canenda erit.

IX. **Quaeres** *de ultimo Evangelio?* Si commemoranda est Dominica, ultimum Evangelium erit de Dominica. Si commemoratio facienda est *impeditae* Missae de SS. Sacramento, ultimum evangelium erit de Ss. Sacramento. Si tamen simul cum SS. Sacramento, commemoranda est Dominica, de hac erit ultimum evangelium. Etenim Addit. et Variat., IX, 3, explicite tradunt

ultimum evangelium non esse de officio Commemorato, nisi cum nullum legendum est evangelium Dominicae, Feriae, Vigiliae aut diei octavae privilegiatae primi ordinis.

X. *Applicatio ad expositionem in Urbe* quae bis in anno celebratur *in templo S. Ignatii.*

Altera expositio initium habet in sabbato sancto; altera, plerumque in die 30 octobris, ubi calendarium ecclesiae praescribit festum S. Alphonsi Rodericii sub ritu duplici secundae classis.

Itaque:

1. *a*) In sabbato sancto, in Missa sollemni expositionis addetur sub unica conclusione collecta de SS. Sacramento; et de eo erit ultimum evangelium. Omittetur tamen symbolum, quod ritu diei excluditur.

b) In Ipsa die Paschatis, sollemniter celebrabitur Missa de festo Paschatis; sub unica conclusione dicetur oratio pro Pace, et sub distincta, oratio de SS. Sacramento.

In omnibus autem missis privatis addetur, sub distincta conclusione, collecta de SS. Sacramento.

c) Die altero Paschatis, Missa sollemnis repositionis erit de Paschate cum oratione de SS. Sacramento sub unica conclusione. In missis privatis collecta de SS. Sacramento addetur sub distincta conclusione.

2. Die 30 octobris, fiet Missa sollemnis expositionis de SS. Eucharistia, addita, sub distincta conclusione, commemoratione festi S. Alphonsi.

Si tamen occurrat festum Christi Regis, de isto fiet; sed sub unica conclusione addetur collecta de SS. Sacramento, et, sub distincta conclusione, commemoratio S. Alphonsi; dum in missis privatis, addetur commemoratio de SS. Sacramento post commemorationem de S. Alphonso. In omnibus missis addetur sub distincta conclusione commemoratio Dominicae eiusque ultimum evangelium legetur.

Si fuerit vigilia, haec in solis missis privatis commemorabitur, eiusque evangelium in fine missae legetur.

b) Die 31 octobris, erit Missa sollemnis pro Pace in qua, sub distincta conclusione, ponetur commemoratio de SS. Sacramento, nisi occurrat festum Christi Regis, quo casu in Missa sollemni addetur sub unica conclusione collecta de *Pace,* et sub distincta conclusione oratio Dominicae cuius legetur ultimum evangelium et commemoratio SS. Sacramenti. In Missis privatis collecta de SS. Sacramento ponetur sub distincta conclusione, post commemorationem Dominicae, si inciderit in Dominicam.

c) Die 1 novembris, Missa repositionis erit de festo, addita sub unica conclusione collecta de SS.mo Sacramento, et sub distincta conclusione commemoratione Dominicae (cum ultimo eius evangelio) si inciderit in Dominicam. Praefatio erit de SS. Sacramento eiusque legetur ultimum evangelium, extra Dominicam.

In missis privatis, addetur collecta de SS. Sacramento sub distincta conclusione.

N. B. 1. Estne festum *Christi Regis* de identico mysterio ac festum SS. Cordis? Id non convenit. Inclinamus in partes negativas, cum festum Christi Regis, quale institutum est, nobis alium respectum personae Christi proponat ac Festum SS. Cordis.

2. In nova Ritualis editione, in Appendice, ponuntur Litaniae, preces et orationes in Expos. XL Horarum. Observamus inter orationes, orationem B. M. V. non iam esse perpetuo « Concede nos » sed ad tempus esse aptatam.

3. Ubi extra Urbem expositio fit XL Horarum, eaedem Normae quae in Urbe cum similibus privilegiis laudabiliter servari poterunt. Ubi diversa fiat adoratio Ss.mi, indultum requiritur ut privilegia participentur.

14. — S. C. de Sem. et Studiorum Universitatibus

Declaratio 27-29 apr. 1927

DE PHILOSOPHIA LAUREAE PRAEPONENDA

(A. A. S., 5 maii 1927, XIX, 194).

Dubium de vigore praescriptionis circa curriculum Philos. Scholast.

Declaratio. Quaesitum est a Sacra Congregatione de Seminariis et de Studiorum Universitatibus utrum praescriptio in Litteris Encyclicis *Pascendi* (8 Septem. 1907) contenta hisce verbis: « *Theologiae ac Iuris Canonici Laurea nullus in posterum donetur, qui statum curriculum in scholastica Philosophia antea non elaboraverit. Quod si donetur, inaniter donatus est* » adhuc vigeat.

Aud. SS.

Re Ss.mo D. N. Pio PP. XI delata in audientia die 27 huius mensis ab infrascripto eiusdem Sacrae Congregationis Card. Praefecto Ss.mus respondere dignatus est:

Resp.

Affirmative.

Dies (29 ap. 1927).

Romae, e S. Congregatione de Seminariis et de Studiorum Universitatibus, die 29 Aprilis 1927.

L. ✠ S. C. Card. Bisleti, *Praefectus.*

Iacobus Sinibaldi, Ep. Tiberien., *Secretarius.*

Annotatio

Observes non lauream quidem Philosophiae postulari sed emensum curriculum philosophiae scholasticae, saltem per biennium. Cf. can. 1365.

---

15. — Commissio Pontificia de re Biblica

Declaratio 26 feb. 1927

DE PRAEPONENDA LAUREA GRADIBUS ACADEMICIS IN S. SCRIPTURA

(A. A. S., 1 apr. 1927, XIX, 160)

Occasio declarationis.

Ut nonnullis occurratur dubiis quae passim exorta sunt de interpretandis documentis pontificiis, quibus laurea in theologia omnibus ad gradus academicos in Sacra Scriptura contenden-

tibus praescribitur, Eminentissimi DD. Cardinales Rei Biblicae praepositi hanc declarationem edendam censuerunt.

Declaratio

Ad gradus academicos in Sacra Scriptura contendere ii soli possunt:

1. qui, expleto biennio philosophico, in aliqua Universitate aut Athenaeo a Sancta Sede adprobato cursum theologicum ad normam can. 1365 vel 589 regulariter peregerunt et ibidem lauream in sacra theologia legitime adepti sunt;

2. vel qui, studiis iuxta praescriptiones iuris peractis in instituto cui non est facultas apostolica concedendi lauream, per duos saltem annos in aliqua Universitate aut Athenaeo a Sancta Sede adprobato studia theologica prosecuti, doctores in sacra theologia ibidem renuntiati sunt;

3. vel Religiosi qui, studiis iuxta praescriptiones iuris peractis, in proprio Instituto adepti sunt titulum qui ipsis, ex facultate a Sancta Sede Religioni facta, ad instar laureae in sacra theologia legitime collatus est.

Die (26 feb. 1927).

Die autem 26 Februarii 1927, in audientia infrascripto Reverendissimo Consultori ab Actis benigne concessa, SS.mus Dominus Noster Pius Papa XI praedictam declarationem ratam habuit ac publici iuris fieri mandavit.

IOANNES BAPTISTA FREY, *C. S. Sp.*
L. ✠ S. *Consultor ab Actis.*

ANNOTATIONES

I. Memoratus canon 1365 rationem studiorum praescribit in Seminariis maioribus; c. 589 agit de ordinandis studiis in sede studiorum religionis clericalis.

Normae autem quae servandae sunt continentur in § 1 et 2 canonis 1365. Tertia enim § 1, quae agit de pastorali theologia et de practicis exercitationibus, minus ad rem praesentem pertinet, neque de ea fit mentio in c. 589.

II. Praesens declaratio est exclusiva, ita ut accessus ad quemlibet gradum in Sacra Scriptura non pateat nisi iis qui condiciones hic postulatas impleverint.

III. Condiciones autem ad summam hae sunt:

1. Postulatur laurea theologiae obtenta in Universitate vel Athenaeo a S. Sede approbato, vel, pro

religiosis, titulus qui, ex facultate facta a S. Sede, est laureae aequiperatus. Fieri enim potest ut ipsae Constitutiones cuiuspiam religionis prohibeant ne religiosi formale diploma doctoris obtineant. Iam ipse Codex, c. 1366 § 2 pari iure habet laureatos et religiosos qui simile laureae testimonium a suis Superioribus consecuti sint.

Non iam sufficit igitur laurea obtenta alia via, utputa per examen coram amplissimo collegio Protonotariorum.

2. Regularis cursus theologiae huic laureae praepositus, sive factus totus, post biennium philosophiae, in Athenaeo a S. Sede probato vel in domo studiorum religionis clericalis, secundum iuris praescripta; sive saltem per duos annos protractus post alibi peractum regularem cursum.

---

16. — Pontificia Commissio interpretando Codici

Responsa 6 mart. 1927

CONFR. SS. SACR. FUNERALES TAXAE. EXPOSITIO SS.
(A. A. S., 1 apr. 1927, XIX, 161)

Dubia.

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I. — *De confraternitatibus SS.mi Sacramenti*

I. De obligatione et privilegio c. 711.

D. I. — Utrum vi canonis 711 § 2 locorum Ordinarii stricte teneantur erigere in qualibet paroecia confraternitatem SS. Sacramenti, an eius loco possint, secundum peculiaria adiuncta, instituere piam unionem vel sodalitatem SS. Sacramenti.

II. — Utrum archiconfraternitati SS.mi Sacramenti in Urbe erectae, de qua in canone 711 § 2, *ipso iure* aggregatae sint tantum confraternitates SS.mi Sacramenti proprie dictae, an etiam piae uniones aliaeque sodalitates SS.mi Sacramenti.

R. Ad I. — Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad II. — Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

II. De religiosis quod ad indicem taxarum.

II. — *De indice funeralium taxarum*

D. — An Religiosi, etiam exempti, subsint indici funeralium taxarum, de quo in canone 1234.

R. — Affirmative.

III. De publ. expos. SS. Sacramenti.

III. — *De publica expositione SS.mi Sacramenti*

D. — An sub nomine *Expositionis publicae,* de qua in canone 1274 § 1, veniat etiam *Benedictio eucharistica* quae, palam exposito SS.mo Sacramento in ostensorio, impertiri solet.

R. — Affirmative.

Dies (6 mart. 1927).

Romae, die 6 mensis Martii 1927.

P. Card. GASPARRI, *Praeses.*

L. ✠ S.

IOSEPH BRUNO, *Secretarius.*

ANNOTATIONES

I. De Confraternitatibus SS. Sacramenti.

I. **Memorandae notiones generales.** E can. 707 et 708 novimus confraternitatem tribus elementis constare: erectione per formale decretum, quo, ex c. 687, fiat iuridica persona in Ecclesia; — constitutione collegiali; — fine, qui est incrementum publici cultus.

Deficiente tertia parte, seu isto fine, habes *sodalicium;* deficiente etiam constitutione collegiali, habes tantum *piam unionem,* quae erigi quidem potest canonice, sed potest etiam cum sola approbatione ecclesiastica exsistere.

Delatio autem sacci seu habitus nullatenus essentialis dicendus est. In ipsa Urbe exsistit sine sacco archiconfraternitas Doctrinae christianae.

II. **Facta et occasio dubiorum.** 1. Dum in Hispania, Italia, Lusitania et partibus Americae latinae conso-

ciationes piae ad modum corporis organici exsistunt, eaedem in aliis regionibus vel penitus vel fere ignorantur.

Atque in ipsa Urbe, res confraternitatum proprie dictarum inclinare coeperunt, ita ut multi fideles qui nomen suum piae unioni libenter darent, cooptationem in collegiale corpus detrectent.

Porro canon 711 § 2, per verba « Curent locorum Ordinarii ut in qualibet paroecia instituantur confraternitates SS. Sacramenti ac doctrinae christianae », diligentem saltem sollicitudinem de his instituendis Ordinariis imponit.

Inde dubitatum est num Ordinarii suo officio satisfecerint, si, prout adiuncta id suaserint, piam unionem potius quam verum sodalicium instituendum curaverint.

2. Cum, verbis satis generalibus usus, canon 711 § 2 legitime erectis confraternitatibus privilegium concedat aggregationis ipso iure perfectae ad easdem archiconfraternitates in Urbe a Cardinali Vicario erectas, Episcopi variarum regionum coeperunt privilegium istud ample interpretari, quasi omnes piae associationes quae aliqua ratione a SS. Sacramento denominarentur et quaedam obsequia SS. Sacramento exhibenda intenderent, iam inde aggregationem consecutae sint. Quod aliquo pacto damno vertitur archiconfraternitatibus, quae iam raro concedendas habent postulatas aggregationes. Inde quaestio mota est utrum necne privilegium aggregationis ipso iure factae prodesset etiam piis unionibus et aliis sodalitatibus SS. Sacramenti.

III. **Solutio Dubiorum.** Pontificia Commissio primum dubium sapienter solvit, declarando licere Ordinariis ut genus institutionis ad adiuncta accommodarent. Ac re vera, quo spectat lex, nisi ut ubique fideles magis magisque conspirent ad promovendum cultum SS. Eucharistiae? Qui finis melius florentibus piis unionibus quam languentibus confraternitatibus obtinetur.

Responso autem ad alterum dubium, Pontificia commissio beneficium aggregationis ipso iure solis confraternitatibus proprie dictis prodesse voluit.

III. Dum aggregationem ipso iure exclusit, Pontificia Commissio solitum modum aggregationis, per instantiam et concessionem non negavit.

Verum hinc **nova quaestio** oritur. Canon 721 § 2 per se (salvo indulto apostolico) archiconfraternitati vel primariae unioni non permittit aggregationem nisi earum confraternitatum vel piarum unionum quae sint eiusdem tituli ac finis. Debentne autem esse etiam homogeneae rationis, ita ut archiconfraternitas solas confraternitates, piae uniones, solas pias uniones sibi aggregare queant?

Hoc negandum putamus, quia ad requisita legalia non licet novum, non expressum addere. Immo in canone 723, canonica erectio, quae n. 1 exigitur, videtur intellegi posse de omni legitima constitutione, v. g. per approbationem ecclesiasticam, cum exsistant uniones primariae quae non sunt sodalicia proprie talia. Exemplo sit *Apostolatus orationis,* quod est non sodalicium sed pium opus, seu pia christianorum foederatio.

V. **Quaeres** cuinam archiconfraternitati confraternitates SS. Sacramenti ipso iure aggregentur?

Resp. Est Archiconfraternitas a Paulo III, 30 nov. 1539, erecta in ecclesia S. Mariae supra Minervam. Eadem enim Bulla *Dominus Noster* confraternitatem approbavit et, § 19, omnibus confraternitatibus eiusdem finis, easdem indulgentias eademque privilegia concessit: quod pro virtuali aggregatione haberi potest.

VI. **Quaeres** num privilegium **praecedentiae** in processionibus SS. Sacramenti, canone 701 § 2 confirmatum confraternitatibus SS. Sacramenti, prosit etiam sodaliciis vel piis unionibus quae earum locum tenent?

Atque id affirmandum arbitramur. Est enim eadem ratio pro utroque genere Confirmamur auctoritate BERINGER-STEINEN, qui tom. II, n. 35, nos docet confraternitates quae sine forma corporis organici exsistunt, a S. Sede eadem ratione ac stricte dictas tractari atque iisdem privilegiis et indulgentiis muniri.

II. **De indice funeralium taxarum a Religiosis etiam exemptis servando.**

I. Alterum dubium graviorem quaestionem movet, cum attingat ius exemptionis regularium.

Ac re vera partes negantium regulares teneri indice funeralium taxarum his argumentis muniri possunt.

1. Vi c. 615, « Regulares... ab Ordinarii loci iurisdictione exempti sunt, praeterquam in casibus a iure expressis. »

Iam vero casus iste in iure non exprimitur.

2. Argumentum confirmatur opposito canone 831 § 3, quo religiosi etiam exempti stare iubentur decreto Ordinarii circa *stipem manualem*. Itaque, sine huiusmodi canone, non essent circa istam stipem Ordinario subiecti. Ergo non sunt subiecti circa taxas funerales, cum Codex id non exprimat.

3. Dum Ordinarius loci de isto indice consulere suadetur parochos civitatis, Regulares non sunt audiendi. Nonne hoc aequitati canonicae adversaretur, nisi essent exempti ?

Pontificia tamen Commissio eos obnoxios effecit iurisdictioni Ordinarii in ista re. Ad sic respondendum mota fuisse videtur potissimum fine legis magis quam eius verbis. Vult enim c. 1234 § 1, « ut quaelibet contentionum et scandali removeatur occasio ». Iam vero Regulares qui aliud taxarum regimen adhiberent facile evaderent scandalosi et auctores contentionum si, v. g. mitioribus pretiis suis, nimis multas exsequias celebrandas haberent.

Praeterea videntur attingi verbis universalibus

« *Ne quis* », quibus, in can. 1235 prohibitio fit quidquam ultra indicem postulandi. Quid, quod c. 1237 § 3 et § 1 regulares obligat ad solvendam portionem paroecialem, quae secundum indicem taxarum funeralium determinatur ?

3. **Corollarium.** Propter eundem legis finem, in potestate episcopi esse debet ut vetet ne inferiore taxa funebria celebrentur.

Observes, post responsum *S. C. Concilii,* 29 iul. 1905, primam missam post obitum, considerari ut ius parochiale si intra mensem a die tumulationis celebretur.

II. Quaenam missae seu functiones sunt huic taxationi obnoxiae ?

Resp. Ex c. 1235 liquet agi hic de sepultura, de exsequiis, de anniversario. Prima autem funeris missa est ius paroeciale si intra mensem a die tumulationis celebretur. Cf. MATTHAEUM a CORONATA, *De locis et temporibus sacris,* n. 259.

III. De publica expositione SS. Sacramenti

Non nulli auctores recentes, laudes SS.mi ab Eius Expositione distinguentes, contenderunt nomine expositionis publicae non venire nisi expositionem, qualem XL Horarum, quae fit ad adorandum SS.mum Sacramentum, non autem expositionem quae Laudes SS.mi comitatur. Quam arbitrariam interpretationem Pontificia Commissio reiecit, urgendo verba canonis, qui publicam declarat expositionem cum ostensorio.

Responsio ista non vetat Regulares ne, sine petita Ordinarii loci venia, intra suam ecclesiam extraneis clausam, expositionem cum ostensorio peragant.

Solent Ordinarii annuum catalogum subscribere benedictionum Sanctissimi ab ipsis permissarum.

17. — Secretaria Status

Litterae circulares 18 nov. 1920.

DE ADITU SACERDOTUM AD SCHOLAS NORMALES.

Dal Vaticano, 18 Nov. 1920. *Dies (18 nov. 1920)*

Ill. e Rev.mo Signore,

Circolare. — Ill.mo e Rev.mo Signore. — Non di rado accade che giovani sacerdoti fanno istanza al proprio Vescovo per ottenere il permesso di frequentare i Corsi normali affine di conseguire il diploma per l'abilitazione all'insegnamento nelle scuole elementari pubbliche; e vari Rev.mi Ordinarî hanno domandato alla Santa Sede come debbano regolarsi in proposito. *Preces porrectae Ordinariis, horumque interrogatio.*

È evidente che la scuola elementare, affidata al sacerdote, presenterebbe, specialmente ai giorni nostri, grandi vantaggi. Basta riflettere che il maestro miscredente è il vero tramite per cui passano nella popolazione delle campagne le idee più perniciose, tanto per mezzo della cattiva educazione da lui impartita agli alunni, quanto mediante la deleteria influenza che esso esercita sugli adulti, i quali, al maestro, come alla persona più istruita, sogliono in molti casi far ricorso. *Quam utilis fidei et moribus esse possit sacerdos magister.*

È pure evidente che il sacerdote insegnante può esercitare nella scuola e fuori della scuola una vera opera di apostolato sia coll'instillare buoni principi nell'animo dei fanciulli, sia acquistando su i medesimi grande ascendente, e per mezzo di essi attirando alla Chiesa le loro famiglie eventualmente poco praticanti.

E Vaticano 18 nov. 1920

Ill. et Rev. Domine

Non raro evenit ut iuniores sacerdotes apud proprium Episcopum instent ut sibi liceat cursus Normales celebrare ut consequantur diploma quo habiles evadant ad magisterium in publicis scholis elementaribus, et non nulli Rev.mi Ordinarii interrogarunt S. Sedem de modo quem in hac re tenerent.

Manifestum est e schola elementari sacerdoti concredita, non modicas utilitates hodie praesertim orituras esse. Id animadvertere satis est: magistrum incredulum esse verum canalem per quem funestissima excogitata transeunt ad populos rusticanos, sive propter malam educationem ab ipso alumnis datam, sive propter perniciosam auctoritatem qua valet apud adultos qui solent frequenter ad magistrum tamquam ad magis doctam personam recurrere.

Neque minus manifestum est sacerdotem docentem tam in schola quam extra scholam vere apostolum esse posse, sive in animos puerorum sana principia insinuat, sive comparando sibi magnam potentiam in ipsos, ita ut per eos eorum familias parum fortasse devotas ad Ecclesiam perducat.

Commoda pro ipso sacerdote

Oltre questi vantaggi d'ordine generale, il sacerdote stesso ne avrebbe non lieve utilità, specialmente quando potesse conciliare l'ufficio di maestro con un ministero spirituale, ad es., di vice-parroco o cappellano. Tale vantaggio sarebbe sensibilissimo, particolarmente nei piccoli centri, perchè si fornirebbe a molti sacerdoti un'occupazione quotidiana di alta utilità sociale, colla quale, non solo eviterebbero ogni pericolo di ozio, ma si procurerebbero i mezzi di superare le attuali difficoltà economiche.

Pericula tamen scholae et officii

Dall'altro lato però, se si considera l'ambiente in cui il giovane sacerdote deve vivere alcuni anni per conseguire il diploma di insegnante, e la speciale condizione in cui gli attuali regolamenti scolastici mettono il maestro elementare, sottomettendolo all'autorità civile, che può trasferirlo a suo piacere, sembra cosa assai pericolosa lasciare aperta indistintamente al clero la via dell'insegnamento nelle publiche scuole.

ipsa experientia demonstrantur

L'esperienza ha pur troppo dimostrato che scarso vantaggio risente la Chiesa dagli ecclesiastici che attualmente insegnano nelle scuole pubbliche, mentre invece non è poco il danno che ne deriva generalmente alla disciplina dei medesimi ed alla integrità dei loro costumi. Non pochi sacerdoti che facevano di sè bene sperare mentre erano in seminario, frequentando poi i Corsi normali hanno perduto lo spirito ecclesiastico: altri poi inviati dal Provveditore agli studi in luoghi lontani dalla loro diocesi, privi della sorveglianza del proprio Ordinario e trovandosi soli in un ambiente nuovo e diverso,

---

Praeter istas generales utilitates, res ipsi sacerdoti non leviter profutura fuerit, praecipue si cum ministerio spirituali, utputa vicarii cooperatoris vel cappellani, munus magistri coniungere possit. Quae opportunitas maxime notabilis fuerit, peculiariter in angustis locis, quia multis sacerdotibus cotidianus labor magnae utilitatis socialis praesto fuerit unde non solum omne otii periculum removeatur, sed etiam medium detur superandi praesentes difficultates oeconomicas.

Si tamen rursus perpendas in quibus adiunctis iuvenis sacerdos per aliquot annos degere debeat ut diploma magistri consequatur, et peculiarem condicionem quam praesentes ordinationes scholasticae magistro elementari imponunt, dum eum obnoxium faciunt potestati civili, quae pro arbitrio suo eum in alium locum mittere potest, valde periculosum videtur ut via magisterii in publicis scholis clero indistincte patere sinatur.

Experientia satis superque demonstravit quam parum Ecclesiae prosint viri ecclesiastici qui hodie in scholis publicis docent, dum, contra, ipsorum disciplina et integritas morum non leve inde detrimentum accipiunt. Non pauci sacerdotes qui, dum erant in seminario, bonam de se spem fundabant, subinde celebrando lectiones normales, spiritum ecclesiasticum amiserunt; alii deinde a provisore studiorum missi longe a propria dioecesi, soli in adiunctis novis et diversis

hanno preso le maniere degli altri maestri secolari e si considerano in tutto come impiegati dello Stato.

Damna munerum ecclesiasticorum.

Giova poi tener presente che se si lasciasse ai giovani sacerdoti libero campo di dedicarsi all'insegnamento nelle pubbliche scuole, si correrebbe pericolo che, nelle attuali condizioni economiche, anche buoni sacerdoti, attirati dagli stipendi governativi, abbandonerebbero gli uffici ecclesiastici che ora occupano.

Quibusnam facultas sit.

Da tutto ciò segue che da una parte non sarebbe prudente un diniego generale del permesso di frequentare le Scuole normali, dall'altra, i Rev.mi Ordinari, tenendo sempre presenti i bisogni spirituali della propria diocesi, non devono accordarlo se non in casi particolari ed ai sacerdoti che per le qualità di cui sono forniti fanno presumere che conserveranno intatta la loro vocazione sacerdotale, ed eserciteranno l'ufficio di maestro alla dipendenza assoluta del proprio Ordinario e non per i proprî comodi, ma come una missione morale e religiosa. Anche in questi casi, però, sono necessarie le seguenti cautele, appunto per impedire qualunque detrimento dello spirito ecclesiastico nei medesimi:

cautelae servandae

De subiecto cui fit facultas;

1° I Rev.mi Ordinarî, come regola generale, non concederanno questo permesso, se non a chierici che abbiano già terminato i loro studî nel Seminario ed abbiano ricevuto l'Ordine del presbiterato.

De schola et loce;

2° Proibiranno in modo assoluto la frequenza di scuole miste, di quelle cioè alle quali convengono anche studentesse, ed

---

mores aliorum magistrorum imitati sunt, et se ut ministros Status in omni re existimant.

Neque id praetermittendum est: si iunioribus sacerdotibus libera optio permitteretur se applicandi ad docendum in publicis scholis, periculum foret ne in praesentibus condicionibus oeconomicis, etiam boni sacerdotes stipendiis gubernii allecti, munia ecclesiastica quae modo gerunt desererent.

